8.44.B.20

Digitized by Google

8. HH. B. 20

Digitized by Google

Digitized by Google

8. 44. 18. 20

ADOLESCENS PRODIGVS,

CAROLI SCRIBANI

E SOCIETATE IESV.

Succumbit vitiis, redit ad ſe, & in omnem ætatem ac fortunam á virtute inſtruitur.





LVGDVNI,

Sumptibus MICHAELIS CHEVALIER.

M. DC. XXII.

Permiſſu Superiorum & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE MAFFEO CARDINALI BARBERINO

SS. D. N. PAPÆ

SIGNATVRÆ IVSTITIÆ Præfecto.

AD quem niſi ad parentem redeat Prodigus? erubeſcebat cùm audiret ſe mitti ad purpuram, & retraxit non ſemel pedẽ: animos addidi: at ille ad purpuræ nomen trepidabat: ita ferè quorum hone-

Digitized by Google

ſta, imbecilla frons eſt: narrabam etiam in purpura patrem eſſe: verebatur ille, ne ad conſpectum purpuræ, duplici ſuffunderetur rubore, ſuo, & alieno: at ego non arbitrabar indignam purpura verecundiam eſſe, frontem & ora purpurare doctam. Hærebat inter hæc dubius. Euici tandem importunus ſuaſor: venit ergo Prodigus Tuus; nec dextram, ſed pedes amplectitur: ſatis illi pedes in patre tenuiſſe: nam & ſatis illi Euangelico erat, cùm famulatum veniret, & mercenarij ambiret ſortem: ſed vicit benignitas patris, & pro votiuis pedibus, amplexus & oſcula retulit, vitulum, ſtolam,

Digitized by Google

lam, annulum, muſicam: non quòd paria Prodigus Tuus ſperet; ſed quòd ſe prodigum fateatur, qui à longinqua regione, & porcorum ſiliquis redit ad patrem, à quo annos iam aliquot exulauerat. Amplectere reducem Tuum: ego illum plebeiâ lacernâ indui: Tu purpurâ teges. Ita ſolent benigniſſimi patres prodigorum filiorum lacrymas purpurâ tergere; etiam oſculis. Intuere quem mitto, propiùs: quidquid repereris poſteritate dignum, Tuum erit; quidquid damnandum, meum. In quo hoc me ſolatur, quòd euenire mihi videam, quod iis qui abſinthium ſaccaro, fella melle

Digitized by Google

temperant : dulcibus nimirum amara : ſaccarum mellaq́;, Tua ſunt ; abſinthium fellaq́; , mea: quæ aut humanitate dulcorabis , aut purpurâ teges. Hoc vt mihi ſpondeam comitas tua facit : quid non audeam in tam diuite ſpe, tot beneuolentiis grauida? amo purpuram , non nego: ſed amoris purpuram , quam tinxit , texuit amor : magis ſi mutuus : ac licet reliquis vincar omnibus , amore vinci nollem : dictum audax: fòrs & ſuperbum : de plebe vltimum litteratorum nolle cedere purpuræ? repeto : nolo cedere: vide audaciam : nemo hanc in amore mirabitur : at ne erres : non mihi

prima

prima Quirinalis purpura, ſed illa, quam omni conchylio meliori tinxit amor, doctoque intextuit ſtamine, arundine, pectine. Sanè ſi Salomon, Matthæo & Luca teſtibus, in omni gloria ſua, nec indutus, nec coopertus fuerit ſicut vnum liliorum; dicam nullam eſſe purpuram, quæ integra verecundia, cum amoris purpura decertet: qua purpuratum primogenium Verbum, vt nos ſanguine ſuo, purpurarum primâ, in horto, in colomna, in corona, in cruce purpuraret: qua perfuſus etiam Prodigus Tuus, Vaticanæ ſe purpuræ Tuæ ſiſtit ſupplex. Habes illum ergo amore Tuo pur-

Digitized by Google

puratum, reliqua inueſtem, quò diutiùs purpura Tua beatiúſque veſtiatur. Nam licet illum veſtiuerit amor, non eſt contentus veſte vna, purpura vna; cùm ſit ex illis, de quibus olim cecinit purpuratorum Princeps. Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus: *gemina purpura gaudet, vt purpuram purpura veſtiat; quo certiùs nuditatem tegat: non quòd Tiberina purpurari purpura velit: ſat enim purpuratus eſt, quem purpurauit amor, ſed quòd aduerſus æmulantium dentes & tela, aduerſus liuentium frigora, niues, grandines, veſtiri velit: mihi nec toga, nec*

nec pallium, quo ſiliquis paſtum veſtiam: mutuabitur ergo à domo Tua veſtem: non poſſum meliore, non ſanctiore quàm Lateranenſi purpurâ amorem veſtire: veſtiendum ergo mitto: Tuo nimirũ robore firmandum, Tuo defenſandum: nec iam vltrà meus eſt, quem manu miſi: Tuus eſt, vitulo paſcendus Tuo, ſtolâ donandus Tuâ, annulo ſubarrandus Tuo: defert verò, ne gratuitò gratus ſit, purpuratos verſus tuos, Belgico hactenus exilio clauſos: moneo tamen, domeſticum hunc furem eſſe & Sidonianum latronem, ſcriniorum compilatorem doctorum. Hoc ille ſpolio lætabundus

exultat: nec pondera docta ſenſit: ignoſce ſuperbienti: cauſam habet: quam omnium oculis, parcus verborum, factorum diues, ſubiicere parat. Et loqueretur ſanè indulgentiùs, niſi obſequeretur innatæ verecundiæ Tuæ: cognatus virtuti pudor eſt: ſed neque adulationis ſuſpicione obtenebrare veritatem vellet: quæ cùm verbis iuuari nolit, tum commendationis alienæ auxilium auerſatur, ſuo robore contenta: repreſſit proinde currentem manum, & bibere calamum coëgit quod effuderat, quod charta biberat. Poſſet plurima adferre in laudem: ſed breuis eſt aſſertio veritatis:

oſtendi

oſtendi gaudet, non ornari: poſſet purpuram diſſibulare, & admirabundum prouocare inſpectorem in veteres verſus:

Effulſere artus, membrorumq; omnis aperta eſt
Lætitia, inſignesq; humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis, latuitq; in corpore vultus.

ita Tua, ignoſce, latet in verſibus purpura; vt non niſi ſecundas Capitolina purpura, primas verſus teneant: in quibus tot propè miracula quot verſus: quæ omnia, ſingulorū lectorum conſcientiæ relinquit, quantum nimirum calamorum merearis, quantum chartarum. De me

nihil dico: nam licet diffiteri non poſſim, cognationem mihi quandam cum hiſce ſtudiis intercedere; cùm tamen in Tuis, hinc verſuum elegantiam, ingenij altitudinem, calami felicitatem; inde verborũ acumen, ſenſuum profunditatẽ, ac totius corporis venuſtatem intueor; fatebor, inuoluor fluctibus, à quibus ne abſorbear, retraho pedem. Quis prudens tripedalẽ ſcapham committit oceano? non ſoleo tam fatuè ludere: ſed neq; fornacibus manum immitto: calere velim; ardere nolo: quare non tango propiùs temerarius hanc rubum: nefas homini niſi cum Moſe excalceato propiùs accedere. De longin

Digitized by Google

longinquo diuina veneramur: facio hoc in Tuis, admirari magis doctus, quam laudare: ita ſoleo in iis quæ laudem omnem ſuperant: quæ cùm attingere calamo non poſſim, admirabundo veneror ſilentio: & nunc etiam iniectâ dexterâ audio inclamantem:

Quô muſa tendis? deſine peruicax
Magna modis tenuare paruis,
Et ſtellis nebulam ſpargere candidis.

Et tamen, non paſtoralem fiſtulam, & Tityri muſicam, & paſcua menſam, & herbas torum, & fontem potum, & ab vbe

Digitized by Google

ab vbere cibum, & arborum tecta ac lacunaria, & pampinos tapetes amauit Auguſtus?

Sic vbi magna nouũ Phario de littore puppis
Soluit iter, iamq́; innumeros vtrimque rudentes.
Latáque veliferi porrexit brachia mali.
Inuasítque vias; in eodem anguſta phaſelus.
Æquore, & immenſi partem ſibi vendicat Auſtri.

Non tranſeo tamen veterem illum Tuum, & fòrs Tuum tantùm Romanæ facundiæ nitorem: & quod poſteritas mirabitur magis, in ſumma altitudine

Digitized by Google

dine nitorem. Non ſolent profunda flumina claritatem ſpondere: turbida ferè profunditas eſt. Tu in altiſſima profunditate vada oſtentas: vt neque altitudo nitori, neque nitor altitudini impedimentum iniiciat: ſociantur hîc quæ diſiungere natura ſolet: & cùm theſauros ferè abdimus, Tu prodis, nil fures veritus: minus in patentibus periculum, plus in abditis: obuia enim tranſimus, ad negata fames prouocatur. Creſcit deinde admiratio elegantiâ: ita alieni corporis pulchritudo magis eos delectat, qui illâ deſtituuntur: ego deſtitui hac me fateor, quo potẽtius amo & miror: admira-

admiratio calamum expreſſit: ignoſce amori: etiam veſtem dedit. A falcone nimirum meo Halario Tuo *mutuatæ veſtes, & è* columbis *meis aquilis Tuis pennæ.* Diſplicent? *contineas caueâ:* placent? *libertate dona.* Scio *has plumas non eſſe dignas Horatiano ac* Pindarico *cygno* Tuo: *ſed memineram etiam aquam vtraque volâ, ruſticâ manu porrectam, Regibus non ſemel placuiſſe: meminerã non diſplicuiſſe* Illuſtriſsimo Frederico Borom*æo, magni* Caroli *patrueli, magni imitatori; non Illuſtriſſimo* Scipioni *Cobellutio* Philoſophum *meum: non quòd mereretur purpuram, ſed quòd hoc darent*

reat amori meo, beneuolentiæ ſuæ: ita ferè in paruis magni ludunt, & gratiora è tenui dextera munera ſunt: affectum parem in pari purpura ſperabam: & ſi quid iudico, non inexpertus humanitatis Tuæ, non fallar: par benignitas, comitas, amor in litteras in purpura pari: & ſi vota mea valent: taceo: ô tantùm multos Vaticana purpura orbi largiatur Boromæos, Barberinos, Cobellutios. Hæc vota liberâ emitto manu, & calamo maiora pectori recondo: audi Deus.

Digitized by Google

APPROBATIO.

PRodigus Euangelicus hic compoſitus à R. P. Carolo Scribani Societ. IESV Presbytero, quia ad omne genus virtutis tam aſſequendum quàm exercendum apprimè vtilis eſt, & doctè inſinuat modum viuendi in omni genere morum; maximè illuſtratus verſibus Illuſtriſſimi D. Cardinalis Barberini, qui mirificè hunc tractatum exornant; iure merito typis mandabitur. Datum Bruxellis 29. Octobris, anno 1620.

Henricus Smeyers S. Th. Licent. Scholaſticus Bruxellenſis, librorum Cenſor.

Digitized by Google

VT hic Caroli Sctibani liber typis mandetur Michaëli Cheualier Lugdunenſi typographo facultatem concedimus, cæteriſque bibliopolis lugdunenſibus, ne Librum eundem intra proximos ſex annos, edant interdicimus. Datum Lugduni 23. Auguſti, 1621.

DV SAVZEY.

ET nos Procurator Regius, in hac eadem præfectura Lugdunenſi noſtrum ſuprafatæ licentiæ adhibuimus, aſſenſum Lugduni, die 25. Auguſti 1621.

DE POMEY.

Digitized by Google

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS SOC. IESV in Prouincia Lugdunenſi.

EGo Ioannes Forerius Societatis Ieſu, in prouincia Lugdunenſi, præpoſitus Prouincialis facultatem concedo iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſsimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IIII. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum quo bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros à religioſis noſtræ Societatis cõpoſitos abſque Superiorum eius permiſsione imprimant: & permitto Michaëli Cheualier, Lugdunenſi Bibliopolæ, vt Caroli Scribani è noſtra Societate adoleſcentem prodigum ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſsit. Datum Lugduni, 30. Iunij 1621.

IOANNES FORERIVS.

Digitized by Google

RODIGVS ADOLESCENS.

RODIGVS. Quamdiu pater-no includar carceri? cur alio calentes ſole terras magno-rum exemplo non luſtro? cur vicinas motaſque prouincias non inambu-lo? quamdiu domeſticis parietibus tā-quam faſciis puer inuoluor? Pater, mater, ſeruuli, domus hæc, rus propin-quum, nec aliud: millies audita mihi, viſa millies. Vbi montes niualibus ſur-gentes iugis? vbi erecti in ſublime vertices, nubibus ſuperſtantes? vbi ex vno fonte diffuſi in Orientem & Occidentem amnes, ſummiſque nemora cacuminibus nutantia, ex-tráque ventorum rabiem poſita? vbi ſiluæ nunc in muſicam auibus, nunc in terrorem feris inhabitatæ? vbi vrbes montibus, ripiſ, fluminibus, torrentibus, paludibus circumfuſæ? vbi ſolitudines retro famo-ſæ ab amœniſſimis fundis oblite-ratæ?

Adoleſcens imperij pertaſus paternum excutere iugum parat.

Eubœam Bœotiæ, Eubœæ Atlantem, Leucoſiam Sirenum promontorio: iſte ciuitates mœnibus proſtratas, alibi hiatu profũdo hauſtas, quĩ & molibus & emiſſis ãnibus, ignibus etiam euerſas: alius trementes natanteſque terras, ac ſeipſas ſorbentes, tanquam non ſatis infida graſſarentur maria & flumina: alius ſubeuntes fontes & flumina terras, & rurſus ſibi reddi: ita Lycus in Aſia: Eraſinus in Argolica, Tigris in Meſopotamia: alius calentibus aquis virentes innaſci herbas: montes alius ardẽtes immortali diebus ac noctibus flamma: ita Ætna, Phaſelidis chimæra, Hephæſtij montes: tantóque æuo igniũ materia ſufficit; aquarum alius narrat miracula? ſulphuris, aluminis, ſalis, nitri, bituminis, arida ſalſaue mixtura. Quæ dum ingenioſo dicuntur ambitu, inſcitiam rubore ſigno: cùm nihil mihi præter paternum rus & paſcua: ô quamdiu in alta hac rerum ignoratione ignauus degam? patrem deſerere durum, ignarum omnium viuere durius: ô quid agam.

VITIVM. Quamdiu in certum volueris? ſors dura! iuuentam hanc trahe

Prouocas & ad ſe

in quo ſine periculo quæſtuoſæ flu-
ctuant in ſegetibus vndæ; quod indu-
ſtrius quiſque quo plùs frequentat,
hoc minùs naufragat, viatoribus mol-
le, fructuoſum aratoribus, venatori-
bus voluptuoſum; quod montium
cingunt dorſa paſcuis, latera vinetis,
terrena villis, ſaxoſa caſtellis, opaca
luſtris, aperta culturis, concaua fon-
tibus, abrupta fluminibus: taceo Mi-
nutiana maria, quæ canis ſpumoſiſ-
ſque fluctibus, criſpiſque toroſiſque
erroribus, dum minas ſuas bibunt,
delectant; dum murmura ſua occi-
dunt, recreant.

Quid ego dicam de conuiuiorum in alteros ſoles protractorum amiciſſima viciſſitudine, dum gaudialibus ſoluuntur poculis curæ egeſtatis ignari? neſciunt vina mœrores, ignorant pocula lacrymas; hinc ſaltus vocibus numeroſiores, & linguæ auibus modulatiores, & omnis muſicorum inſtrumentorum concentus, æmulâ vbique viciſſitudine varius; ſeu voles Æolum ſimplicem, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium cum Apuleio *Conuiuia laudata.*

bellicoſum; ſiue è noſtra Europa Iberum ſonorum, Italum fringultientem, plus pedibus quàm voce ſaltantem Gallum, ſeu Germanum graui bombo concentum muſicum miſcentem, ſeu Anglum vno ſpiritu multas tibias animantem, ſeu Belgam omnis voculæ melleum modulatorem, ſeu Græcum omnimodis peritum modificatorem.

Socij laudati, venationes, deliciæ. Quid memorem ſocios, ætate, moribus, ingenio, opibus, ore, oculis, fronte pares? cum mutuis inhortationibus poſito pudore, metu, ſollicitudine, mœrore, gaudiales creſcunt dies. Fortunati dies! nullæ noctes, cùm vertantur omnes in dies, exulantibus tenebris, neſciunt gaudia tenebras. Hinc

Sermo, hilaréſque ioci, brumalem abſumere noctem
Suadebunt, mollémque oculis expellere ſomnum,
Donec ab Elyſiis proſpexit ſedibus alter
Caſtor, & heſternas cernat Titonia menſas.

Sequun

Sequuntur ſcenæ & ludus, & bella auibus, teris, piſcibus cogitata, ita intrāquilla flumina, maria, nemora, aër, deliciis & menſæ ſunt: ô amica nimiùm iuuentæ bella! tenduntur doctæ manus docta retia, fallaces hami; auibus aues, canibus fatigantur ſiluæ. & vna alteram fera domino ferculum ſtruit; & laſſantur menſæ: aquis, aëre, nemoribus fabulantibus. Quis hanc deliciarum varietatem prudens, ſpernat? quis ſanus negligat? quis Cato, quis Democritus, quis Heraclitus, cenſeat, rideat, defleat?

Quid te coerces, & necas rectam indolem?

fruere cælo conceſſis mea Iuuentus: ſat moroſo ſupercilio datum, ſat inamœnæ fronti, ſat triſtibus oculis, decreuerunt panni; ſucceſſit maturior ætas: vindica te in libertatem: quouſque duram ſeruies ſeruitutem, quouſque filius audis, & non dominus? vires, nobilitas, altera nunc ætas, forma, opes, amici, omnia te inuitant. Aude anime, audentibus manum fortuna porrigit, negligit remiſſos, vt dictum verè ſit?

Fortuna fortes metuit, ignauos premit.
quid hæres dubius? quin mage,

Si viuis animæ, ſi quid antiqui tibi
Remanet vigoris, pelle fœmineos metus.

Indue cum toga virile pectus, indue animos viro dignos, tantùm aude, & maiora votis ſpera, memor momentis Tragici:

Dum fata ſinunt
Viuite læti: properat curſu
Vita citato volucriq́ue die
Rota præcipitis vertitur anni.

Imperatores qui è tenui conditione ad imperium peruenerunt.

Sequere quò te fortuna ducit, quò humanarum rerum domina: labitur neglecta occaſio. dum licet fruere: ne elapſam ſerò ingemiſcas, ad magna te vocat: incumbe magnis: aude ſperare: è liberto Pertinax & Diocletianus, ex opilione Macrinus & Maximinus, ab incude Puppienus, è latrone Philippus, è ligonibus Aurelius, ab aratro Maximianus Herculeius, è funario patre Valentinianus & Valens, è villa Iſaurica Zeno, è bubulco Iuſtinus, è porcario Iuſtinianus, è notario Mauritius, ex vili ſago Phocas, è vectigalibus Theodoſius, è ſedentaria arte

Iſauri

Iſauricus Leo, ex infima plebe Michaël Traulus, è captiuo Baſilius Macedo, è nautico famulatu Michaël Calaphates imperium tenuit. Eadem ſperare quis vetet? vilis animi eſt intra maiorum ſe limites tenere; generoſi maiorum facta anteire, & purpuram ſceptráque familiæ inferre. Adnitere.

VIRTVS. Quò raperis mea iuuentus quò incauta improuidáque fallacem ſequeris ductorem? ſub his nemoribus, montibus, vallibus, fontibus, torrentibus, fluminibus latè ridentibus, & ſola plurimùm ſponſione grauidis, ſola locupletibus, per-empturæ latent inſidiæ: non dictum olim? *Fallit ſponſionibus ſuis ſaeculum.* *Infida fortunæ.*

O nulla longi temporis felicitas!
Nemo confidat nimiùm ſecundis.
Vidi cruentos carceri includi duces,
Et impotentis terga plebeiâ manu
Scindi Tyranni.

Et non, vt reliqua taceam: *Docetur veterum exemplis fortunæ perfidia.*

Craſſum Partus habet, Libyco iacet æquore Magnus?
Tertius ingratam perfudit ſanguine Romam?

Et quaſi non poſſet tot tellus ferre ſe-
pulcra,
Diuiſit cineres: hos gloria reddit hono-
res.

Et in eandem propè ſententiam Seneca: *De Pompeij capite pupillus & ſpado tulere ſententiam: de Craſſo crudelis & inſolens Parthus. Cæſar iuſſit Lepidum Decio Tribuno præbere ceruicem, ipſe Chæreæ præſtitit.* Subiungit: *Neminem eò fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum promiſerat. Noli huic tranquillitati confidere: momento mare euertitur, & vbi luſere nauigia, ſorbentur.*

Atque hinc illud miſerantis & dolẽtis:

Quicunque regno fidit, & magna po-
tens
Dominatur aula, nec leuis metuit Deos,
Animumq́ rebus credulum lætis dedit;
Me videat, & te Troia: non vnquam
tulit
Documenta ſors maiora, quàm fragili
loco Starent ſuperbi.

Et in eandem ſententiam Rex magnus inter purpuram & ſceptra,

Ego eſſe quidquam ſceptra, niſi vano
putem

Fulgore

Fulgore tectum nomen, & falſo comam
Vinclo decentem: caſus hæc rapiet breuis.

Abdo ab eadem manu, cuius lectione delectari te video.

Magnis fallax fortuna bonis, *Alta præcipitio proxima.*
In præcipiti dubioq́ nimis
Excelſa locas: nunquam placidam
Sceptra quietem, certúmque ſui
Tenuere diem.
Alia ex aliis cura fatigat,
Vexátque animos noua tempeſtas.

Hinc illud à diademate & regno, quo certior teſtis:

Dum excelſus ſteti, *Timor regno iungitur.*
Nũquam pauere deſtiti, atque ipsũ mei
Ferrum timere lateris.
Venenum in auro bibitur: expertus lo-quor.
Humi iacentem ſcelera non intrant ca-ſam.

Vt verum illud viri magni ſit: *Solet fortuna, quos plurimis beneficiis ornauit, ad duriorem caſum reſeruare.* ſaginantur ad victimam pecora, ſed & coronantur: time exemplum. Hinc illud Lyrici votum:

Fortuna ſæuo læta negotio, & *Fortuna inſtabilis.*
Ludum inſolentem ludere pertinax,

Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alijs benigna.
Laudo manentem: ſi celeres quatit
Pennas, reſigno quæ dedit, & mea
Virtute me inuoluo, probámque
Pauperiem ſine dote quæro.

Non addam plura: nam & pleni ſunt libri: & non

Ima permutat breuis hora ſummis?

Fortuna inconſtantia. non, quod experientia docemur quotidiana,

Minùs in paruis fortuna furit?
Leuiuſque ferit leuiora Deus?

& non verum illud ab amico tibi calamo,

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargitque manu
Munera cæcâ, peiora fouens?

Humana incerta. Vt exclamet poſt hæc omnia,

O nos dura ſorte creatos!
Nemo tam diuos habuit fauentes;
Craſtinum vt poſſet ſibi polliceri.

Quid tam inſtabili fidis, & tam dubiæ ſalutem credis fortunæ; audi quid de illa vetus canat poëta:

Propria fortuna. *Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam perhibent Philoſophi,*
Saxique inſtar globoſi prædicant volubilem.

Quia

Quia quò ſaxum impulerit fors eò, cadere fortunam autumant.

Cæcam ob eam rem eſſe iterant, quia nihil cernat quò ſeſe applicet.

Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabiliſque ſit:

Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoſcere.

Quis prudens inſanæ, cæcæ, brutæ ſe ſuaque committat? quis tam fragili? de qua alius:

Fortuna vitrea eſt, quæ cùm ſplendet frangitur.

Quis vitro vitam, fortunas, famam, poſteritatis gloriam fidat; addamus ex eodem:

Fortuna nimiùm quem fouet, ſtultum facit.

quid vis; audiri ſtultus, aut à fortuna negligi & prudens haberi? Et quid ſperas magna? audi monentem:

Summum ad gradum cùm claritatis veneris,
Conſiſtes ægrè, & citiùs quam aſcendis, decides.
Cecidi ego, cadet qui ſequitur.

Summa in lubrico verſari.

Audi alterum:

An ignoras magnas arbores diu creſcere,

vna hora extirpari?

vt bene Tragicus,

Commoda cladibus
Magnis magna patent.

nec hora ſæpè media inter ſceptrum & aliena genua, inter purpuram & ſecurim, inter diademata & ignem, funẽ, venena, vncum, carnificem, nimirum

Vnúſque Titan vidit, atque vnus dies
Stantem & cadentem.

Maior metus in magnis.

Atque hinc ſerium illud monitum:

Moderata durãt: quóque fortuna altiùs
Euexit ac leuauit humanas opes,
Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet,
Varióſque caſus tremere, metuentẽ deos
Nimiũ fauentes. Magna momento obrui
Vincendo didici. Troia nos timidos facit.

Sequere monentem, & crede dictum verè,

Feriunt celſos fulmina colles,
Corpora morbis maiora patent,
Et celſæ grauiore caſu
Decidunt turres.

Sequere alium non minùs eleganter & verè canentem:

Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat

Excelſæ

Digitized by Google

Excelſæ turris tabulata vnde altior eſſet
Caſus, & impulſę præceps immane ruinæ.
Quid Craſſos, quid Pompeios euertit, & illum
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Sũmus nẽpe locus, nulla nõ arte petitus,
Magnáque numinibus vota exaudita malignis.

De Imperatoribus verò Romanis quid dicam? qui ſceptra numeras; recéſſe interitum: ſuo ferè aut alieno ferro cadunt. Galba menſe ſeptimo, Piſo propè primo, Otto qnarto, Vitellius nono, Maximus & Balbinus duodecimo, Quintillo die ſeptimo & decimo, Tacitus menſe ſexto, Baſiliſcus vigeſimo: octauo & vigeſimo die Siluanus, necdum expleto menſe ſecundo Maximus: Michaël Calaphates menſe quinto: Theodoſius tertius anno non integro expleto. Taceo reliquos: quis ignorare Romulum poteſt, Remum, Tarquinium, Seruium, Pompeium, Scipionem, Marium, Cæſarem, Caligulam, Domitianum, Neronem, Claudiũ. Taceo exteros, nimis notus Polycrates, Agis, Nicias, Pho-

Imperatorũ Romanorũ imperiũ breue.

Magnorum infelix exitus.

cion, Miltiades, Ptolomæus Aſiæ, Armeniæ Mitridates, Iugurtha, Perſeus, Hannibal, Theſeus, Alcibiades, Pauſanias, Themiſtocles, Solon, Ariſtides, Lycurgus: & in illis crux, laqueus, lapides, venena, vincula, ſcopuli, iacula, inedia, exilia. Taceo reliquos inferioris nominis fortunæ ludos, Parmenionem Alexandri, Cleandrum Commodi, Ablauium Conſtantini, Seianum Tiberij, Eutropium Arcadij, Stiliconem Honorij, Flauium Theodoſij, Vineam Frederici, Brocam Philippi, Cabreram Petri Aragonis.

I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,
Stantiáque in plauſum tota theatra iuuent.
Attalicas ſupera veſtes, atque omnia magnis
Gemmea ſint ludis; ignibus iſta dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus & vltimus ordo.
Eſt mala, ſed cunctis iſta terẽda via eſt.

Nolo hanc paginam funeſtare ſanguine, poſsẽ: quinquaginta nimirũ Romanos Imperatores ſui aut alieni ferri aut veneni victimas receſſere poſsũ: in reli-

quis

quis verò gentibus vincor numero: tu vide ſecuram mediocritatem malis, an bis tinctam tuo & alieno ſanguine purpuram. Iam quæ fatuitas ſceptra cogitare? te cogita & Deum, & inanes vitiorum ſponſiones ſolo vento grauidas contemne: de quibus meritò dici poteſt:

Poma dari quorum ſolo paſcaris odore.

fauillacea nimirum, & quæ ſolo attactu eant in vagum puluerem. Me ſequere, quid times, & retrahis pedem? calcarunt ante te ad quam te voco ſemitam multi: etiam puellæ & pueri: & calcarunt vt roſas aſpera credis? violæ ſunt & lilia, interſparſo vbique ſaccaro & melle, aut putas plus gaudiorum in ſcenico ludo eſſe, quàm in re ſeria? alto hæc pectore conditur; innatant ſcenica labris, nec os & linguam tranſcunt. Neſcis metallorum, teſte Stoico, nobiliſſima altè defoſſa iacere, viliſſima in ſummo eſſe? eadem de me cogita, in abdito gaudio mea latent, vt quantum plus altiúſque ſuffoderis, tantùm ſperare plus debeas, vitiorum ſummam cutem tangunt: nec aliud horum, quàm leonum, prædâ captâ

Diſcrimẽ inter virtutis & vitiorum ſemitam.

captâ gaudium eſt meum ab imo natum vniuerſam mentem pacat tranquillátque, & ſeria ſeueráque quadam lætitia totum pectus occupat. Ne fide vitio, cuius malacia ſolam ſuperficiem radit, memento peremptura: ne fide criſpanti ac calamiſtrato huic eleméto; dũ ridet, ſorbet, & inenodabili mergit profundo: mentitur pacem; intus bella fouet: ſi eminus intuearis, ouem arbitreris innocentiæ primæ, aut blandientem ſinu catulum; ſi propitiùs, lupus eſt: nunquam manſueſcit lupina rabies, & nuſquam magis quam in mentita ſæuit pace: addo: ſerpens eſt frigore fors torpet? ne fide: vbi ſinu foueris, ſerpens erit, venena fundet: non miteſcit ſerpens, & beneficia toxico remuneratur. Idem hîc cogita blando te vitia prouocant inuitatu: frons illis qualis ſummo vere camporum, hortorum, nemorum, rubentes genæ medio emicant marmore, candentia veſtiuntur labra purpura commordicata dentibus: illices ludunt oculi, & pluſquam ora rident, iaculantúrque non caſtos ignes, & Ænæis plus fornacibus, plus Babyloniis

Vitiorum blandæ fraudes in mortẽ ducunt.

lonijs ardent: verba melle natant incocta ſaccaro. & omnibus his vnum integitur venenum, tanquam multiplici ſtola & veſte: quid tangis nocitura, & vltrà inhoſtiles ruis amplexus? tot iacent magna olim terris nomina, non

Oſſa vides Regum vacuis exhauſta medullis,

& plebeio calcari cineres pede? viuerent ſi ignoraſſent hunc famulatum ancillare: placuit huic dominę, & æterna infelici premuntur ſeruitute. Dictum olim & bene:

Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Serò recuſat ferre quod ſubiit iugum.

quod in æternum ardentibus ignibus ſibi parauit, cuíque ſe vltroneus induiſerâ in omne æuum pœnitudine: quò moriture properas, & cælo natus terram cogitas?

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!
Tranſiet ætas,
Quàm citò non ſegnis ſtat remeátque dies,
Quàm citò purpureos deperdit terra colores;

Quàm

Quàm citò formoſas populos alta comas

Et quò tibi quò tunc opes & purpura? quò tot ſudoribus parta vno momētò rapienda? Audi quid ſentiat Poëta:

Menſura tamen quæ
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam.
In quantum ſitis, atque fames & frigora poſcunt,
Quantum Epicure tibi paruis ſuffecit in hortis,
Quantum Socratici *ceperunt antè penates.*
Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit.

O ſi imitemur, nec vltra has opes cogitationes eant Chriſtianæ! audi inseminantem:

Sed cuius votis modò non ſuffecerat aurum
Quod Tagus, & rutila voluit Pactolus arena;
Frigida ſufficiēt velantes inguina pāni.

Potuit Chriſtianiùs? Et verò quouſque fugitiuis & dominum fallentibus inhæres? æternitate dignas ſuſcipe cogitationes: quid menſas cogitas & hortos?

Luxu

Luxuriam imperij veterem, noctéſque Neronis
Iam medias aliámque famem?

Quid amnicorum piſcium & nemorum examina languentis irritamenta veneris? quò tot apri, cerui, paui, muretæ, integríque ſaltus & maria vni ſtomacho? contentus hic impleri eſt: quid neceſſum inferi ſuperíque oceani ſcrutari profundum, & ab terrarum vltimis aues depoſcere? contenta fames deſinere eſt. Et quid refert quid accipiat ſtomachus, perditurus quidquid acceperit? cùm ſubierint ventrem domi foríſque nata, an non eadem omnia fœditas occupabit?

Ah miſeri, quos noſſe iuuat quid Phaſidis ales
Diſtet ab hyberna Rhodopees grue, quis magis anſer
Exta ferat, cur Tuſcus aper generoſior Vmbro,
Lubrica quæ recubent conchylia mollius alga.

Et quid ſaltus memoras vitulátis ætatis inter petulcos oculos, manuúmque ac pedum ſcandala cælis iaculata? exultat hîc pudor; quaſi in publico nemo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mo peccet: & quæ ſtrato erubeſcenda, omnium oculis effundimus.

Hîc nullus verbis pudor, aut reuerentia menſæ,
Hîc turpis Cybeles, & fracta voce loquendi Libertas.

O quoúſque palàm pudorem occidimus? quouſque Venus & Cupido noua ſceleribus inuenta numina? quaſi peccare tutò liceat præeuntibus Diis.

Vana iſta demens animus aſciuit ſibi,
Veneriſque nomen finxit, atque arcus Dei:

quò liberiùs per ſcelera iuuentus iret, cùm deos haberet monitores, auctores, duces: inde iam ſquamatus, cornutus, plumatus, & auro ſuo & alieno Iuppiter optimus maximus natans: ita

Dum eſſe amorem turpiter vitio fauẽs
Finxit libido: quóque liberior foret,
Titulum furori numinis falſi addidit.

In incertum prodigus agitur, ignarus cui adhæreat virtuti an vitio.

PRODIGVS.

Vbi læta duris miſta in ambiguo iacent,
Incertus animus ſcire cùm cupiat, timet.

& metu ego nunc plenus, vt quò me ver-

vertam, neſciam: dubius, quid eligam, incertus.

Anime quid rurſus times,
Et ante rem ſubſidis? audendum eſt, age.

Quid agam? vſque & vſque rapior miſer, & in diuerſum agor: *errat hîc aliquis dolus,*

Trepidumq́ gemino pectus euētu labat.
Fata ſi liceat mihi fingere arbitrio meo.

quæ non fingam? at nunc illa dicit, Me ſequere: hæc aliò flectit habenas: vtraque ſpondet magna: illa præſentia & quibus frui datum, hæc futura & pendula media iuuentus iacet, & marceſcit flos melior vitæ.

Nulla ſors longa eſt, dolor & voluptas
Inuicem cedunt, breuiter voluptas;

ſed ſenſu propior. Quò tandem me vertam inter diuites præſentium futurorúmque ſponſiones? conſiliorum dubius hæreo, vt nulla medio oceano ſcapha tot iactetur, quod hic animus fluctibus, decumanis maioribus. Et ſanè, *Vt rarū eſt felix, idemq́ ſenex:* ſic rarum eſt iuuenis, idémque prudens: quo maiore ſubſidio indigeo: at

in

in tam pugnantibus, quid deligam? aut quem potiſſimùm ſequar? ſemper puerum eſſe, durum: ſemper alienis conſiliis & imperio duci, graue: & ætas mihi iam ſceptro digna: & quid intereſt inter filium & ſeruũ? vtrumque iuxtà imperia premunt: patris, an domini ſint, obſequendum eſt: & ferè grauior in patre poteſtas, quam euitare nõ poſſis: ſeruorum libertas maior: ſubducunt ſe dominis: & nouo famulatu veterem molliunt: exuere filium patriâ poteſtate ſola mors poteſt, felices ſerui! infelices filij duro patre nati!

VITIVM. *Quid æternis minorem*
Conſiliis animum fatigas?

me ſequere: quouſque triſtibus iuuentam oneras? ſeria in vltimam ætatem prudens coniice: cana dabunt conſilia graues anni: nunc dum ætas, vires & opes ſinunt, & arridet adoleſcentiæ elementum, nauigemus gaudiale hoc æquor; ſubducturi ratem, ſi quæ à fluctibus ventíſque minæ ſurrexerint.

VIRTVS. Et quis ſpondebit nauiganti portum? quis non niſi vno à morte pollice diuiſos littoribus reddet? Audi poëtam:

Audax

Audax nimiùm qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terráſque ſuas poſt terga videns
Animam leuibus credidit auris,
Dubioq́ ſecans. æquora curſu
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortiſque vias
Nimiùm gracili limite ducto.

Nulla vita certitudo, nulla annorum, nulla horarum.

Audi intonantem alterum

Imus in abruptum, gentiléſque vndique terras
Fugimus, exiguâ clauſi trabe, & aëre nudo.
Inde furor ventis, indignantéſque procellæ,
Et cæli fremitus, & fulmina plura Tonanti.
Ante rates, pigro torpebant æquora ſomno,
Nec ſpumare Thetis, nec ſpargere nubila fluctus
Audebant: viſis tumuerunt puppibus vnda.

Quod de infido oceani elemento Poëtæ, ego de adoleſcentiæ primæ. vt non tam mirer lintre veriùs quàm naui, tanquam in datario pilæ luſu prœludentes, ſcindentéſque iratos fluctus nautas,

natitas, nequidquã infrendente oceano, minaſque iraſque ſuas reſorbente; quam adoleſcentes per doloſum iuuentutis æquor temerario auſu decurrentes cùm vnum hoc quaſi per riſum & iocum plures ſecuros ſui, quàm omnia vbique maria, abſumpſerit, ac in medio magnarum cogitationum, opum, honorum curſu, tanquam falce demeſſuerit.

Sic plura maligno
Afflantur vineta Noto: ſic alta ſeneſcit
Imbre ſeges nimio: rapidæ ſic obuia puppi
Inuidet, & velis adnubilat aura ſecundis.

Et quis annos adeóque diem, quin & horam ac momentum certus ſpondeat; non rapti plerique mediâ iuuentâ? quot menſas & coniugalem torum funeſtarunt ſanguine? quot inter riſus necdũ expleto cachinno, mors rapuit, & riſum ſecuit medium? & quis ſpondeat canos, incertus lanuginis primæ? hinc illi queſtus:

O vbi venturæ ſpes non longinqua iuuentæ,
Atque genis optatus honos, iurataque multùm

Bar

Barba tibi? cuncta in cineres grauis intulit hora,
Hoſtiliſque dies: nobis meminiſſe relictum.
O vbi purpureo ſuffuſus ſanguine candor,
Sidereique orbes, radiatáque lumina cælo,
Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis,
Ingeniumque ſuper crines, molliſque decore
Margo comæ: lacrymis ſed & hæc mea carmina in ipſo
Ore natant, tricteſque cadunt in verba lituræ.

Et fruſtra queſtus: quot ab vberibus rapti matrum? quot vtero conſepulti, vt vnde vitam, inde mortem biberent? non dediſſe & rapuiſſe, durum? felix ô nimium

Dubio quem non in turbine rerum
Deprendet ſuprema dies; ſed abire paratum
Ac plenum vita: nos vilis turba caducis
Deſeruire bonis, ſempérque optare parati
Spargimur in caſus: celſa: tumentis ab arce

Deſ

Deſpicis errantes, humanáque gaudia rides.

Hæc poëta de ſe aliíſque: & ad parentem ſobole viduatum:

Felix ô! ſi longa dies, ſi cernere vultus
Natorum, viridéſque genas tibi iuſta dediſſent
Stamina; ſed mediâ cecidere abrupta iuuentâ
Gaudia, florentéſque manu ſcidit Atropos annos:
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentéſque roſæ primos moriuntur ad Auſtros,
Aut vbi verna nouis expirat purpura pratis.

Ita nullo diſcrimine rapimur, & non

Mixta ſenum ac iuuenum denſantur funera? nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.

Nullum mori diſcrimen ætatis.

parcit nemini: nec aliter quàm Auſtro flante nemorum folia, ſic nos demetimur mortales: & vt arenæ fluctibus, ſic in incertum miſeri iactamur diuorum pilæ & bullæ: & in longum interim iaculamur vota, nec tot exemplis horarum omnium docemur.

O ſpes

O ſpes fallaces ! &, *O nullis tutum credere blanditiis*, nulli iuuentæ, viribus, opibus, nobilitati, honoribus ! me ſequere adoleſcens & optimam tui partem non perituræ æternitati ſacra.

VITIVM. Quò hæc præmatura ſapientia ante canos venit? ne fide: & quò hæc ſæua & immitis ſectio, tanquam ſi viridi etiamnum culmo frumenta demetas, aut in flore ſuo poma in ſemine ſuo frutices in pampino ſuo botrum, in herba ſua florem? fruamur certis: futurorum cogitationes alteri ætati ſeruemus: nam quid iuuat bis miſerum eſſe, hîc mœroribus confici, ibi pœnis? vtamur conceſſis: nec fruſtra largitus hæc Deus, lætioris ætatis materiam lætam: non frui, cùm poſſis, durum eſt: & quis futurorum ſenſus? præſentia feriunt animum, & amica corpori ſunt, & quodam illi nexu ab ipſa natiuitatis ianua colligata: & quæ amicior coniugatio, præſentium & corporis? fruamur illis dum tempus & ætas ferunt.

Præſentia ſuadet. auocat à futurorũ cogitatione.

Permitte diuis cætera: qui ſimul
Strauere ventos æquore feruido
Depræliantes, nec cupreſſi,

Nec veteres agitantur Orni.
Quid ſit futurum cras, fuge quærere, &
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Appone.

Sed & fruere conceſſo: quid ſecutura meditaris anxius?

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridétque, ſi mortalis vltra
Fas trepidat: quod adeſt memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur.
Ille potens ſui
Lætúſque degit, cui licet in diem
Dixiſſe, Vixi: cras vel atrâ
Nube polum. pater occupato.

Tu tantùm præſentibus fruere, triſtémque futurorum memoriam exue, incertiſque certa antepone: futurorum incerta ratio eſt, certa præſentium: ſepone triſtem futurorum memoriam, ſeruáque hæc moroſa moroſæ ætati, & ſequere monentem Lyricum:

Albus vt obſcuro detergit nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: ſic tu ſapiens finire memento
Triſtis

Triſtitiam, vitæque labores
Molli Plance mero.

At nulla triſtitia maior quàm è perpetua futurorum cogitatione. Hanc tu inter ætatis tuæ ſocios mero pelle.

Huc vina & vnguenta, & nimiùm
breues
Flores amœnæ ferre iube roſæ;
Dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra.

VIRTVS. Ita eſt, incertis certa anteponenda: præſentibus proinde futura: hæc certa: mentiri non poteſt Deus: ſponſorem hunc futurorum habemus: & tot omnium gentium exemplis docemur: errare omnis ætas non poteſt; ſed nec fallere Deus poteſt, ſi Deus eſt: fallit? Deus non eſt. Iam quantos præſentium fuga luſit? quantos in limine deſtituerunt, & adeò ante ipſa? quoties fruſtrata vota? quàm multi ſola ſpe diuites, rerum egentes miſeram traxerunt vitam; quàm multos perpetua cura exedit, nec ſupra mœrores & anxiam dubiamque ſemper mentem quidquam: vt dicere cum Poëta liceat:

Præſentibus renuntiandum, inhærendũ æternis.

Nunquam in pace ſopor: quoties hæc

ora natare
Fletibus, & magnas latrantia pectora
curas
Admota deprendo manu?

Quàm dein multi infelicem animam ſolis ſponſionibus grauidam intulerunt ſepulcro; cùm vix è millibus vni aut alteri res votis reſponderint: & cuius vnquam pectus explerunt abitura?

Cupit hic Regi proximus ipſi
Clarus claras ire per vrbes.
Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Iſtri, nec tota ſitim
Lydia vincit, nec quæ Zephyro
Subdita tellus ſtupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum,
Nec ſi totus ſeruiat Hebrus,
Ruraq; diues cingat Hydaſpes,
Intraq; ſuos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Auidis omnis natura parum eſt.

Non explentur opes opibus, non honoribus hono-

Iam quis non ex his plura concupiſcere didicit? quis vlla ætate dixit, Satis eſt? creſcit honoribus honorum ſitis, opibus opum, voluptatibus voluptatum: ita ſitis vna alteram prouocat: nam &

Creſcen

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Maiorumq́ue fames.

Accipe remedium ab eadem manu:

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops:
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Idem malum remediúmque in animorum ſiti: cauſſam pelle, & remedium ſpera. At tu excute omnium gentium vernaculas hiſtorias: quem vllo vnquam ſæculo ſaturarunt opes, honores, voluptates? nullius terminus pruriginis huius eſt, inualeſcit copia: quàm fatuum ergo eſt optimā his ætatis partem tradere, & immortalem mentem perituris illigare? cogita ęternitate tua digna: peritura non dabūt: cogita non moriture animæ non moritura ornamenta: nullum ſæculum hoc dabit; ac ne promittet quidem: tanta vis veri eſt: cogita deciduam te quandam quaſi partem magni Numinis, afflatus illius non ignobilem portionem: & non indigna genere tuo delige: quid cineri & fumo proximis indulges? æterna te manent æternis animum paſce: quid æternorum degener

res, non voluptatibus voluptas.

fugitiua amplecteris? potes nullo æuo ponenda, nullo finienda. Nec mora longa: ſors hodie, ſors hac hora, manent repoſita cælo pręmia: factum plurimis: euenire tibi poſſe crede quod illis.

VITIVM. Verùm quid canos ſuprà ætatem quæris? ſerua illos maturiori ęuo: at nunc.

Vina ſuades & choreas.

Ite procul durũ curæ genus: ite labores.
Care puer madeant genoroſo pocula Baccho,
Et nobis pronâ funde Falerna manu.
Sic noctem paterâ, ſic ducas carmine, donec
Iniiciat radios in tua vina dies.
Bacche veni, dulciſq; tuis è cornibus vua
Pendeat, & ſpicis tempora cinge Ceres.
Phœbe faue, nouus egreditur tua templa ſacerdos.
Huc age cum cithara carminibúſque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

Et

Et tu Baſſaridum rotator Euan,
Et Pæan, & Hyantiæ ſorores,
Lætæ purpureas nouate vittas.
Crinem comite, candidamq́; veſtem
Perfundant hederæ recentiores.
Iuuat & vago rotatu
Dare fractâ membra ludo,
Simulare vel trementes
Pede, veſte, voce Bacchas.

Hæc decent ætatem primam: erit cùm triſtia vltro occurrent, & nolentem opprimẽt: nata hilaritudini iuuentus eſt, mœroribus ſenectus: quid te ante tempus crucias? veniet ætas cui negati ioci, luſus, riſus: cui lentitudo, & adnata huic triſtitia, comes eſt: nunc *Seria in vltimam ætatem reiiciẽda.*

Nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canities abeſt
Moroſa: nunc & campus, & areæ,
Leueſq́; ſub noctem ſuſurri,
Compoſita repetantur hora.
Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ riſus ab angulo:
Pignuſq́; direptum lacertis
Aut digito malè pertinaci.

VIRTVS. Ignorat triſtia virtus: cùm

Gaudiũ virtutis comes.

in ęterno gaudio ſit:non dico,non fert triſtia:prouocat,& amico ſtringit amplexu, & amat vt gloriæ ſuæ materiam,roboris ſui præmium, ſudorum merçedem:quid? quòd toto non rarò corpore inimicum ſuſtineat, laſſa de genu pugnare,& poſt hauſtum datúmque ſanguinem lætior exurgat? docta vires ab hoſte creſcere, ab amico decreſcere:ab illo indurari, ab hoc molleſcere: nimirum:

Virtus duris roboratur.

Duris vt ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes animumq́; ferro.

Ita triſtibus roborat virtus alumnum: audiamus eundem.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentium.
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.

Hoc eſt virum eſſe, & in magno, quia in inconcuſſo, eſſe gaudio. Audi eundem:

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,

Nec

Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Vide in quanto gaudio ſit virtutis cultor, quàm interrito, quàm vbique impauido. Doctè & fortiter hoc Stoicus, & me monere cogita. *Exiſtimas me detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita ſubmoueo, qui dulciſſima oblectamenta deuitanda exiſtimo? Imò contrà nolo tibi vnquam deeſſe lætitiam, volo illam tibi domi naſci: naſcitur, ſi modò intrà teipſum ſit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt: leues ſunt: niſi fortè tu iudicas illum gaudere qui ridet: animus debet eſſe alacer & fidelis, & ſuper omnia erectus. Mihi crede, res ſeuera eſt, verum gaudium: an tu exiſtimas quemquam ſoluto vultu, &, vt iſti delicati loquuntur, hilari oculo mortem contemnere paupertati domũ aperire, voluptates tenere ſub fræno, meditari dolorum patientiam? hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. In huius gaudij poſſeſſione eſſe te volo: de tuo gaude: quid eſt hîc de tuo te ipſo, & tui optima parte. Corpuſculum quoque, etiamſi nihil fieri ſine illo poteſt, magis neceſſariam rem crede quàm magnam: vanas ſuggerit volupta-*

Summa voluptas in virtute.

tes, breues, pœnitendas; at ni magna moderatione temperentur, in cõtrariũ abituras: Ita dico, in præcipiti voluptas ad dolorem vergit, niſi modum teneat: modum autem tenere in eo difficile eſt, quod bonum eſſe credideris. Veri boni auiditas tuta eſt: quod ſit illud, interrogas, aut vnde ſubeat? dicam. Ex bona conſcientia, ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam. O bene! fortiter! verè! & non iam Stoicè, ſed Chriſtianè! Verum ergo gaudium è virtute eſt: hanc aduerſa roborant: quare & profundiore gaudio mentem aduerſa implent quàm proſpera: nam vt primo aditu vitia gaudiorum aliquid oſtentent, & vltimam cutem mollientibus deliniant ac demulceant; aculeos tamen imprimunt mœrorum maximos, & ingeminant plagas, & tanquam ſcorpij de poſtumo corporis verberantes, qua vulnus figunt, virus effundũt: frons illis blanda: at vbi receſſerint, ac leniter ſuperſiciem mollientibus & titillantibus vellicauerint; intimant virus, augent mœrorem, vnde priſtini diuinorum ſenſus retorpeſcunt, gelaſcit

Et vitiis natum, gaudij nomen non meretur.

gelaſcit animorum ſanguis, carne ſpiritus exoleſcit, ac quadam ſpiritualium nauſeâ incraſſeſcit: quid? quòd ipſa mens ſibi quod vomat, quærat, vt ſauciatum pectus in Dei contemptum expuat? Hęres, nec fidem apud te hęc reperiunt? conſule vitiorum famulos: quęre quam ſeruiant ſeruitutem: ſi ex vero illis verba; duriſſimam dicent. Audi Tragicum:

O ſi pateant pectora dictum!
Quantos intus ſublimis agit
Fortuna metus! Brutia, Coro
Pulſante fretum, mitior vnda eſt.
Pectora pauper ſecura gerit.
Tenet è patula pocula fago,
Sed non trepidâ tenet ipſa manu.
Carpit faciles vileſq; cibos,
Sed non ſtrictos reſpicit enſes.
Aurea miſcet pocula ſanguis.
Malè penſantur magna ruinis.
Felix alius magnuſq; volet:
Me nulla vocet turba potentem,
Stringat tenuis littora puppis.
Nec magna meos aura phaſelos
Iubeat medium ſcindere pontum.
Tu quicunque es, qui ſceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula

Graues à diuitiis animo tempeſtates.

Pax à paupertate.

Nulla à ſceptro ſecuritas.

tes,breues,pœnitendas; at ni magna moderatione temperentur, in cõtrariũ abituras: Ita dico, in præcipiti voluptas ad dolorem vergit, niſi modum teneat: modum autem tenere in eo difficile eſt, quod bonum eſſe crediderꝭ. Veri boni auiditas tuta eſt: quod ſit illud, interrogas, aut vnde ſubeat? dicam. Ex bona conſcientia, ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam. O bene! fortiter! verè! & non iam Stoicè, ſed Chriſtianè! Verum ergo gaudium è virtute eſt: hanc aduerſa roborant: quare & profundiore gaudio mentem aduerſa implent quàm proſpera: nam vt primo aditu vitia gaudiorum aliquid oſtentent, & vltimam cutem mollientibus deliniant ac demulceant; aculeos tamen imprimunt mœrorum maximos, & ingeminant plagas, & tanquam ſcorpij de poſtumo corporis verberantes, qua vulnus figunt, virus effundũt: frons illis blanda: at vbi receſſerint, ac leniter ſuperficiem mollientibus & titillantibus vellicauerint; intimant virus, augent mœrorem, vnde priſtini diuinorum ſenſus retorpeſcunt, gelaſcit

Et vitiis natum, gaudij nomen non meretur.

gelaſcit animorum ſanguis, carne ſpiritus exoleſcit, ac quadam ſpiritualium nauſeâ incraſſeſcit: quid? quòd ipſa mens ſibi quod vomat, quærat, vt ſauciatum pectus in Dei contemptum expuat? Hęres, nec fidem apud te hęc reperiunt? conſule vitiorum famulos: quęre quam ſeruiant ſeruitutem: ſi ex vero illis verba; duriſſimam dicent. Audi Tragicum:

O ſi pateant pectora dictum!
Quantos intus ſublimis agit
Fortuna metus! Brutia, Coro
Pulſante fretum, mitior vnda eſt.
Pectora pauper ſecura gerit.
Tenet è patula pocula fago,
Sed non trepidâ tenet ipſa manu.
Carpit faciles vileſq; cibos,
Sed non ſtrictos reſpicit enſes.
Aurea miſcet pocula ſanguis.
Malè penſantur magna ruinis.
Felix alius magnuſq; volet:
Me nulla vocet turba potentem,
Stringat tenuis littora puppis.
Nec magna meos aura phaſelos
Iubeat medium ſcindere pontum.
Tu quicunque es, qui ſceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula

Graues à diuitiis animo tempeſtates.

Pax à paupertate.

Nulla à ſceptro ſecuritas.

Centum pariter limina pulſet,
Cùm tot populis ſtipatus eas.
In tot populis vix vna fides.
Tenet auratum limen Erynnis,
Et cùm magnæ patuere fores,
Intrant fraudes cautiq́ꝫ doli,
Ferrumq́ꝫ latens: cumq́ꝫ in populos
Prodire parant, comes inuidia eſt.
Noctem quoties ſummouet Eos,
Regem toties credite naſci.
Pauci reges, non regna colunt,
Plures fulgor conuocat aulæ.

Doctè, eleganter: & alibi falſum à vero Rege ſecernit:

Qui verum regium nomen mereantur.

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.
Non quidquid fodit occidens,
Aut vnda Tagus aurea
Claro deuehit alueo.
Rex eſt qui metuit nihil.
Hoc regnum ſibi quiſque dat.

Addit de ſe votum ſuum

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturat quies.
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.
Sit cùm tranſierint mei
Nullo cùm ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.
Illi mors grauis incubat. **Cui mors grauis.**
Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur ſibi.

Credas è Chriſti ſchola hæc vota venire. O ſint Chriſtianorum omnium! in quanta pace præluderent non mor̃ituræ æternùm paci! quàm ſecuros necterent noctibus dies! maximè ſi vni Deo, & ſaluti incumberent hinc illæ voces: *Eloquia Dei dulciora ſuper mel & fauos.* Et verè lacte & melle promiſſa Dei manant, & ſolido veroque gaudio totum hominem ſuum implent.

VITIVM. Supra hominem ſuum hæ cogitationes ſunt: aſſueſce paribus mea iuuentus quid cælũ cogitas terræ natus? **voluptatem ſuadet amplectendam.**

dam, epulas, delicias.

natus? adnata corpori voluptas eſt: hãc amplectere: negligis? fugiet, & incomitatũ deſtituet. Hinc frigus occupabit artus, & membra ſtabunt gelu concreta, & glacies omnia, & inamœna ſociatio: quare dum ætas fauet,

Indulge genio: carpamus dulcia, noſtrum eſt
Quod viuis, cinis, & manes & fabula fies.
Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyrióque nardo
Potamus vncti?
I, pete vnguentum, puer, & coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli.
Rutilum toreuma byſſo,
Rutiláſque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Moliboea fucat vnda,
Opulenter vt meraco
Bibulum colore vellus.
Niue pulchriora lina
Gerat orbis, atque lauris,
Hederiſque pampiniſque
Viridantibus tegatur.
Epulas ſuperbiores

Humeris

Humeris ferant onuſtis,
Tripodáſque cantaróſque
Roſa ſutilis coronet.
Animata fila pulſu
Date, & ara fiſtulata
Satyris amica nudis.
Rugato Cato tetricus labello
Narem Rhinoceronticam minetur,
Non te terreat hic nimis peritus.
Verum ſi cupias probare, tanta
Nullus ſcit: mihi crede, quanta neſcit.

Quid? quòd

Narretur & priſci Catonis
Sæpè mero caluiſſe vertus?

Quò magis tanto duce, meo hortatu, ſequere quò te iuuentus vocat: nam

Quid fraudare iuuat vitem creſcentibus vuis,
Et modò nata mala vellere poma manu?

quid adoleſcentiam ſuis deliciis? & præmaturos voluptatis illius decerpere flores? quid conceſſa negare? Sequere monentem alium, & tibi dictum puta,

Viuite felices, memores & viuite noſtri,

Siue

Siue erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint.

Voluptates damnanda, ciborúmque copia & potus.

VIRTVS. O vbi frons! meretricia facta eſt tibi: dedidiciſti erubeſcere: quid corporum voluptatem ingeris? an pariare hominem iuuat belluis, quarum omnis vita in corporum voluptate eſt? paria cælo & Deo, cuius omnis voluptas in animo eſt: quid æternitati natum abiicis ad hæc vilia? adnecte generi ſuo, Deo. Et ad quam voluptatem prouocas? cibi & potus? expecta famem, tam legumina placebunt quàm oſtreæ, & fruſtum hardeacei panis quàm fungi vna luna nati: aut inglorium putas comedere ſine periculo? Iam vina qualia poſcis? quarto an ſexto conſule nata? vbi illa viderit, vide tremulas manus, cadentes genas, lippientes oculos, putulentas gingiuas, vacillantes dentes, cretatos pedes & manus, inambulantem orbem, & pedibus iam non ſuis ſed alienis, & paucarum ſæpè horarum hilarem inſaniam, totius vitæ tædio penſatam: & nimirum te auctore,

Si quando afflauit Iacchi
Sanus odor, tunc ſaxa manu, tunc pocula pulchrum

Sparge

Spargere, & immerito ſociorum ſanguine fuſo
Inſtaurare diem, feſtáſque reponere, menſas
Pulchrum, cùm vice teli
Sæuit nuda manus, paucæ ſine vulnere malæ
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine naſus
Integer: aſpiceres iam cuncta per agmina vultus
Dimidios.

Et quid quæris in vino & menſis? valetudinem bonam? firmos lacertos? ſanguinem probum, qui nec copia grauet, nec improbitate venenet? an neſcis tenuibus valetudinẽ ſtare? conſule athletas: dum robori ædificando vacant, continentur à cibis lætioribus, à potu iucundiore. An à deteriore ſexu voluptatem mutuandam arbitraris? Audi vnum è tuis.

Quiſquis es aſſiduas aufuge blanditias.
Illis & ſilices, & poſſunt cedere quercus,
Nedum tu poſſis ſpiritus ille leuis.
Sis licet & ſaxo patientior ipſe Sicano,
Sis licet & ferro durior & chalybe.

ne ſi

ne fide, memor moniti ex eadem ſchola,

Sæuior armis
Luxuria incumbit, victúmque vlciſcitur orbem.
Quid enim Venus ebria curat?

Et ſanè ſi verecundior generoſitas pectus occupaſſet, non ires ad hæc erubeſcenda, & quæ publicari timent. Et non prudentes docent frena iniicienda his belluis? etiam illi ipſi qui ea laxarunt, fatuitatem ſuam damnāt, cùm ſciant præcipitio proximam voluptatem omnem eſſe, ac nō niſi vno crine pendulam. Nil opus exemplis: qui Samſonem, Dauidem, Salomonem cogitat, non eget exemplis: & quid opus tam longè accerſitis? domeſtica ac vernacula ſi cogitamus, obruimur exemplis.

Summa voluptas è voluptatum contēptu. Vis veram voluptatem? ſummam voluptatem è voluptatis contemptu capies: imperare enim voluptati voluptas ſumma eſt: iniice huic frena, calcaribus doma, ne excutiat ſeſſorem. Quid abiicis animum ad hæc vilia, Deo patre natus? quid corpori famularis, corporis Dominus? doce hoc ancilla

ancillare animæ, & reprime inſolentes illius turbidóſque motus, infrenéſque libidines, quæ non præſentes ac præteritæ tantùm, ſed & venturæ nocent: amplectere animorũ voluptates, quarum nec antè, nec pòſt pœnitentia vlla eſſe poteſt. Et quæ voluptas maior animo tranquillo? tranquillitatem hanc conſequeris, ſi te fortuitorum imperio eripueris, ſi non ſubmiſeris ceruices perituris, ſi ſub iugum hæc etiam miſeris, & ſeruire docueris, nec alio quàm mancipiorum loco habueris, loris, & flagris & priſtino natorum. Hæc ſanè vna voluptatum omnium generoſiſſima eſt, nulli ſuccumbere voluptati, omnem calcare: magnus ille qui vltro voluptates prouocat, & audet induere cæſtus ſi contrà ſteterint: quem nulla ſecunda emolliunt, nulla frangunt: cui aures libidini clauſæ, cui pectus chalybe durius, frigidiúſque marmore ad omnẽ voluptatis incurſum & nomen: quíque ad illius illices minas & proritamenta, ſolo ſe contemptu riſúque vindicat: digniſſimus hic ſpectatore ex alto & præmiatore Deo eſt. Imitare

Digitized by Google

re adoleſcens,& vindica te in libertatem,& eripe impotentis dominæ ſeruituti: aſpera hæc tibi videbuntur: mollia erunt ſi aſſueueris: triſtia ac moroſa arbitraberis: læta erunt: tantùm aude: viciſti ſi contempſeris. Taceo cælum, & repoſita cælo præmia, quorum ſola cogitatio aſperitudinem omnem leuigat, ſcabritiem tollit, mœrorem detergit, & ingenti pectus implet voluptate. Claudo hanc dictionem magni Boëtij verſu:

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furenteis
Apiumq́; par volantum,
Vbi grata mella fudit
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

VITIVM. Redolent hæc Philoſophum Stoïcum, fortiúſque dicuntur quàm peragantur, digna cano capite, & cui res domi in cinere & ſacco, in pulmento & aqua, & tenui ſalino: tibi, cui auguſta poſſeſſio auguſtos animos dedit, aliæ eant cogitationes: erit cùm hæc in conſilium vocabis: nunc fruere conceſſis: quid heredem circumſpicis? audi Lyricum:

Abſumet heres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus: & mero
Tinget pauimentum ſuperbum
Pontificum potiore cœnis.

Et non

Cuncta manus auidas fugient heredis amico
Quæ dederis animo?

& non quæ tu lento ſtillicidio paraſti, ſitulis effundet? quid alienis gaudiis materiam paras? tu curas, ſuſpiria, lachrymas; illi amores: tu ad omnia decreſces diuorum puluinaria, nec terrã tãtùm, ſed caput cinere integes, & in ſqualore ſacci limina verres; vnguentis illi vinóq; madebunt: tu cogitationes curáſque in æternitaté iaculaberis genij tui fraudator; illi pręſentibus fruentur, futura expectabunt.

Lætus in præſens animus, quòd vltra eſt
Oderit curare, & amara læto
Temperet riſu. Fugit retro
Leuis iuuentus & decor, arida
Pellente laſciuos amores
Cœnitie, facilemq́; ſomnum.

VIRTVS. Ita eſt. Philoſophum hæc redolent, ſed Chriſtianum, Chriſti ſui ſanguine lotum, cæleſtium heredem:

de

de herede quid vereris? nolo materiam huic parari ſcelerum, nolo vitiorum; ſed neque tibi: quanquam in hac re nolo me monitorem ſequaris; ſequere Illuſtriſſimum Maffeum Barberinum: nec pudeat à purpura diſcere, aut à Signaturæ Præfecto. Non propono probeias in exemplum animas: vnâ tantùm in terris minorem propono: non potes errare tanto ductore: ſequere præeuntem in fratris filio & tibi occinuiſſe crede, animóque tuo pendulo & dubio:

Virtutem ſequendam, voluptatem fugiendã Illuſtriſſ. Barberinus docet.

Ingreſſe pubis limina lubricis
Calcanda plantis, ſe tibi ſemita
Decliuis offert, & doloſo
Pandit iter malè fida ductu,
Franciſce fratris germen amabile,
Ob quem ſub imo condita pectore
Me cura mordet, detinetq;
Sollicitum genitoris inſtar.
Subſiſte mecum, nec graue duxeris
Hinc ex amœna qua patet orbita
Ductore me flectens adire
Per ſalebras Heliconis antrum.
Huc nate greſſus, hîc licet aurei
Phœbi cientis pectine muſicas
Audire chordas, dum canentes
Dulce melos ſociant Camœnæ.

Digitized by Google

Hîc multiformi carmine barbitos.
Eburna Parcas ſopit, & eripit
Heroas orco, quos perenni
Fonte beat comitata virtus.
Huic obſecutum conſpicis inclytum
In collis almo vertice Theſea,
Quem fluxuoſis non fefellit
Tramitibus fabricatus error.
Sic vectus altum per mare ſubditos
Cantus Vlyſſes dicitur integer
Audiſſe, ſic vitaſſe Circes
Pocula, lethiferas & herbas.
Spectandus hîc contemptor anhelitus
Spirantis ignem diuite velleris
Præda coruſcat luctuoſus
Meſſor agri grauis ære & haſtis.
Conficta Præto crimina deferens
Coniux, necari quem petit innocens,
Hos inter excellit triformis
Bellerophon domitor Chimœræ.
Phœbea laurus frondibus allicit,
Dulciq; paſcit nectare Pegaſus,
At noſſe vim nobis negatur
Melle ſub Aonio latentem.
Senſus recludit Cynthius abditos.
Audi canentem. Quem fouet aureis
Virtus in vlnis, ille monſtris
Victor ouat domitis beatus.

Digitized by Google

Non hunc voluptas mollit, & impetus
Non vincit ira, quæ violentiùs
Succis & herbis in ferarum
Terga viros, & in ora vertunt.
Vt ecce plaudit Caſtalidum chorus,
Phœbiq; concors carmina concinit!
Hîc ſiſte curſum me petente,
Sacra refert tibi verba Chiron.
Incompta quondam, claraq; ſimplici
Nitore forma talibus Herculem eſt
Affata Virtus, dum procaci
Blanda ſono loquitur Voluptas:
Hæc ſumptuoſo tegmine turgida,
Pexoq; mollis crine, micantibus
Ornata gemmis, appetenda
Sub ſpecie malè cauta pubes,
Edocta fraudes nectere fraudibus
Te ducit, atris qua ſcatet anguibus:
Dum flore vernans ſe terendam
Perfacili via prona greſſu
Oſtendat, vmbras frondibus explicat
Hîc arbor, hîc ales canit, ah fuge
Quæ poma pendent, quoſq; vitis
Fert grauibus latices racemis,
Hæc pulchra viſu poma necem ferunt,
Hæc quæ renidet lumine decipit:
Lethale nam laruata virus
Purpureo tegit vua ſucco.

Si

Si me ſequaris per loca ſentibus
Infeſta, teſquis horrida, per niues,
Per ſaxa, per montis cacumen,
Sternet iter tibi ferrum & ignis.
Vreris æſtu puluere ſordidus
Pulcro, madebis tempora nobili
Sudore, non fractus labore, &
Magnanimo generoſus auſu.
Euectus alis hiſce per æthera
Tranabis ignem, & lactis iter pede
Premens coruſcanti micabis
Luce nouum decus inter aſtra.

VITIVM. Docto hæc ore, calamo, pectore dictata non nego: agnoſco veterem Romam: nihil eo detractum elegantiæ, puritati, robori, prudentiæ, vt meritò audiat, *Romanæ fidicen lyræ*, ſublimi feriens ſidera vertice: verùm ſeria hæc huic ætati nimiùm poëmata, mea iuuentus, cano capiti decantanda, & purpurato vertici. Molliora dabunt Ouidius, Tibullus, Catullus, Propertius, Gallus: hæc lege. Audi canentes:

Vina ſuadet & amores. poëtarũ exemptis.

O quid ſolutis eſt beatius curis!
Ridete quidquid eſt domi cachinnorum.
Meæ deliciæ, mei lepores
Iube ad te veniam meridiatum.

Digitized by Google

Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci,
Flammeum cape, lætus huc
Huc veni niueo gerens
Luteum pede ſoccum.
Excituſq; hilari die
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Spineam quate tedam.

Adde merum, vinoq; graues compeſce doleres,
Occupet vt feſſi lumina victa ſopor.
Nunc mihi fumoſos veteris proferte falernos
Conſulis, & Chio ſoluite vincla cado.
Vina diem celebrent, non feſta luce madere
Eſt rubor, erranteis & malè ferre pedes.
Hîc vbi me prima ſtatuent in parte chorea,
Et medius doctâ cuſpide Bacchus erit,
Tum capiti ſacros patiar pendere corimbos:
Nam ſine te noſtrum non valet ingenium.
Tu mihi ſola domus, tu Cynthia ſola parentes,

Omnia

Omnia tu noſtræ tempora lætitiæ.
Errat qui finem veſani quærit amoris,
Verus amor nullum nouit habere modum.
Terra priùs falſo partu deludet amãtes,
Et citiùs nigros ſol agitabit equos,
Flamma per incenſas citiùs ſedetur ariſtas,
Fluminaq́; ad fontis ſint reditura caput.

VIRTVS. Adeóne iuuat tenebris damnata proſtibula in charta legere, & ad integra caſtos oculos, caſtum iuuentutis primæ pectus, librorum prouocare lupanaria? & putas libros hoſce, libidinum ſcenas, Sodomæ arenas, omnium ſordium euripos iuuentuti præbendos? ignibus nimirum extinguendis ignem, fornacibus ligna, oleum camino: ô pudor! non ſatis erat cortinas ſpurco commaculare ſpiritu, niſi impuro calamo caſta inceſtaretur charta, niſi in omnium oculos vniuerſum pudorem calamus effunderet? vt mirum ſit non erubuiſſe chartam, non ſtetiſſe atramentum rubore ſuffuſum ad hæc propudia. Et non, ſepone mendacium, & aliquando vera proloquere: nocentiora ferè ſunt calamo- *Impurorum librorum lectio vitanda.*

rum, quàm oculorum & oris vulnera: hæc auolant, nec raró ſuperficiem tantùm radunt; illa æternant, nulloque non die infligunt vulnera, ſolâ plerumque Dei manu medicanda.

At docta miſcentur mollibus: venena nimirum ſaccaro: quis illa vlla ætate felle tẽperauit & helleboro; conditis pulmentis & bene ſaporatis, & plurimùm dulcibus id malũ iniicitur: ita diabolus letale quo conficit, rebus Dei gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Et non ſatis litterarum eſt extra hos chartaceos lenones ſceleſtis verſibus verbíſque pura adoleſcentiæ corda, ipſumque deſuper incumbentem aërem cubiliáque impurarum libidinum ſcintilis conflabellantes; non ſatis verſuum extra illa Eleuſinia? non ſatis ſententiarum extra has lacunas, ipſas bibliothecas ac reconditoria ſua conſtuprantes? Audi ipſum ſcenicum impudicitiæ ductorem:

Eloquar inuitus: teneros ne tange Poëtas,
Submoneo dotes impius ipſe meas.

Audi alterum impudicitiam profeſſum:

Quæ

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas
Et poſuit caſta turpia viſa domo,
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaq́ue ſuæ noluit eſſe rudes.

Grauiora de libris cogita: altiùs feriunt, quo ſuauioribus temperata. Audi alterum:

Ne legeres partem laſciui, caſta, libelli
Prædixi & monui.

Tanta vis veri eſt: vt impudicitiam profeſſos cogat in caſta verba. Et ſi rem ex vero penſemus, quas non faces flammáſque iniicit Callimachus, Philetus, Anacreon, Tibullus, Propertius, Gallus, Martialis, Ouidius, Sappho? quibus non exemplis lectorem ſuum proritant Plautus, Terentius, Auſonius? Audi Auguſtinũ prudenter & doctè momentem: *Non accuſo verba, quaſi vaſa electa & pretioſa; ſed vinũ erroris, quod cum eis nobis propinatur ab ebriis doctoribus. Væ tibi flumen moris humani, quis reſiſtet tibi? quamdiu non ſiccaberis? quouſque volues Euæ filios in mare magnum & formidoloſum, quod vix tranſeunt qui lignum cõſcenderint? Nónne ego in te lego tonantẽ Iouem, & adulterãtem?* *Lib. 1. Cõf. c. 16.*

Et vtique non poſſet hæc duo: ſed actum eſt, vt haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falſo tonitruo. Audi Hieronymum: *Sua omnes ſuauitate delectant, & dum aures verſibus dulci modulamine currentibus capiunt, animum quoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt.* Ep. 146. Audiamus Philoſophum: *Omnis obſcœnitas verborum, per legiſlatorem ex ciuitate exterminanda eſt: ex turpiter enim loquendi licentia, ſequitur & turpitur facere. Cùm verò dicere quidquam turpiter interdixerimus, clarum eſt quòd & aſpicere, aut picturas, aut actus deformes prohibemus.* Quid diceret de libris, quorum potentior vis eſt in fraudem, cùm ſub honeſto eruditionis velamine intimant venena; ſub eloquentiæ pallio peremptura toxica tegunt; ſub venuſtatis ſpongia, nouacula ſecant? Quin & audiamus Lutherum, vide quid veritatis vis poſſit, laqueum iniicit, etiam mentiri & fallere aſſuetis. Titulo de doctis. *Neceſſarium eſt vt libri Iuuenalis, Martialis, Catulli, & Priapeia Virgilij, ex omnibus locis & ſcholis exterminarentur & profligarentur, quia tam turpia & obſcœna ſcribunt, vt ſine magno detrimen-*

trimento iuuentuti non poſſint prælegi. Veniunt hæc à caſtitatis hoſte, quo magis mireris, & iuſto in illorum lectione percellaris metu. Claudo hæc Catoniana Iulij Cæſaris Scaligeri cenſura. *Multa ſunt Martialis epigrammata diuina, in quibus & ſermonis caſtitas, & argumenti ſpecies luculenta eſt; verſus verò candidi, numeroſi, pleni, denique optimi: alia fœda ne legerim quidem, tantùm abeſt vt ad cenſuram vocem.* Viueret, quid diceret de illis, qui impurorũ poëtarum ſcripta, tanquam obumbrata renubilant, & cortinam reducunt huic ſcenæ, refibulantque clauſa lupanaria nudatione, tam conſtanti fronte, vt nullæ mimæ, nullæ amphitheatricæ ſaltatrices, quæ in omnium oculis omnem pudorem proſtituunt, proiectiore ſint verecundia, atque hi chartacei lenones?

Fuge mea iuuentus hæc calamorum probra, ſub mellitis venena verbis, ſub feſtiuis, toxica ſalibus, ſub facetis aconita leporibus: pudicitiæ hæc cingulum ſoluunt, caſtimoniæ repagula perfringunt, dum ibi narrant ſquamatum amatorem, alibi mugien-

Digitized by Google

tem bouem, hîc plumatum inſidiatorem, exinde doloſum aurum: &, ne quid deſit, in parentes & ſorores inceſtuoſos, maritorum adulteras, virginum & puſionum raptores, vt inclamet adoleſcens lector cum Comico, Orbis numina hæc fecerunt, ego manum teneam? Et ſeponamus æterna: non miſerum viro eſt femineo huic iugo ceruices innectere? meliorem ſexum deteriori exancillare? quis paulò generoſior propudioſa hæc ferret imperia? Audiamus quid de vniuerſo ſexu hoc cenſeat inuerecundæ ſcholæ non poſtremus magiſter:

Mulierum familiaritas vitanda. damnaque ab hoc ſexu metuenda.

Sed vobis facile eſt verba & componere fraudes:
Hoc vnum didicit femina ſemper opus.
Non ſic incerto mutantur flumine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quàm cito feminea non conſtat fœdus in ira,
Siue ea cauſſa grauis, ſiue ea cauſſa leuis.

Audiamus è ſatyra aliquem indignantem femineo imperio: vide quâm

dentem

dentem imprimat:

Ferre potes dominam ſaluis tot reſtibus vllam,
Cùm pateant altæ caligantesq́ue feneſtræ,
Cùm tibi vicinum ſe præbeat Aemilius pons?

Audiamus deſcribentem mores:

Plorat
Vberibus ſemper lacrymis, ſemperq́ue paratis
In ſtatione ſua, ipſis exſpectantibus illam
Quo iubeat manare modo.

Quas ſiue in amorem faciles, ſiue in indignationem præruptas, ſiue in fraudem veras, ſiue in ſuadelam molles, ſiue in mœrorem prodigas, ſiue in commiſerationem lenes, ſiue in pudicitiam fallaces, ſiue in preces ſubmiſſas, ſiue in ſuperbiam inuitas, ſiue in pietatem mentitas: in omnem denique partem doctas habet. Audi fortem, ſed verum vatem:

Si tibi ſimplicitas vxoria, deditus vni
Eſt animus; ſubmitte caput, ceruice parata,
Ferre iugum: nullam inuenies, quæ parcat amanti.

Ardeat ipſa licet, tormentis gaudet amantis,
Imperat ergo viro, ſed mox hæc regna relinquit,
Permutatq; domos, & flammea conterit: inde
Aduolat & ſpreti repetit veſtigia lecti.
Ornatas paulò antè fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.
Sic creſcit numerus, ſic ſiunt octo mariti
Quinque per autumnos, titulo res digna ſepulcri.
Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circundedit, & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.
Intolerabilius nihil eſt quàm femina diues.
Quoties facit ira nocentem
Hunc ſexum, rabie iecur incendente feruntur
Præcipites: vt ſaxa iugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, cliuoq; latus pendente recedit.

Malo

Digitized by Google

Malo ſuo ſæculíque ſui edoctus, digniſſima calamo ſuo narrat poeta: quo maior illi fides, cùm impurorum ſi non primus, non poſtremus ſit. Deuita has meliorum mentium charybdes mea iuuentus: vide quantæ toto femineo mari magnorum tabulę natent, totum inter Europam, Africam, Aſiam, Indiam vtramque pelagus laceræ virorum claſſes naufragio ſuo operuerunt, olim Lyricus in funeſtos ciuilis bellis exitus inclamat:

Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus ſepulcris impia prælia
Teſtatur, auditumq́ue Medis
Heſperiæ ſonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decolorauere cædes?
Quæ caret ora cruore noſtro?

At ludi ſunt, non bella, & quidquid Romani ſanguinis profuſum, ſtillicidium de ſitula, & muliebris oceani gutta vna eſt, natare nouo potuit orbis oceano, & noua arca fabricari, nouus Noemus creari, ſi quidquid virorum ſanguinis mulier fudit, fluminibus ſucceſſiſſet, nam quæ orbe toto in-

Digitized by Google

tacta domus? quæ femineum ignorauit ferrum, venena, fluctus?

VITIVM. Sempérne hęc ſeria, tanquam è templi roſtris? quod viuimus noſtrum eſt: quid ſuperuacuo oneramur labore? quid fatigamur curis, laſſamur mœroribus?

Certa, æternitate propoſita, dubiis anteferenda.

VIRTVS. Quid vis ludicra? cùm ab omni momento dubia æternitas pendeat? aut ludus tibi ignis qui coquitur in gehenna? quem nulla ęternitas minuet, omnis reparabit, numquam abſumens, ſemper vrens? non inuigilandum ne eueniant quę nullæ lacrymæ eleuant, nullum ęuum? Iam cùm incerta ſit conditio futurorum: non certius tutiuſque eſt, è duobus ambiguitate ſua pendulis, id amplecti quod aliquam ſpem ferat, quàm quod nullam? in illo periculi nihil eſt, in hoc damnum maximum, ſi, cùm aduenerit, falſos nos opinione noſtra repererimus, certa incertis pręponenda monent ſapientes: incerta fatui deligunt, amplectamur certa.

Omnibus moriendũ probis iuxta ac

VITIVM. *Tu ne quæſieris ſcire (nefas) quem mihi quem tibi*
Finem dij dederint, nec Babylonios
Tentaris

Tentaris numeros, vt meliùs, quidquid erit pati: *improbũ: quare indulgendũ genio.*
Scupureis hiemes, ſeu tribuit Iuppiter vltimam:
Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum: ſapias: vina liques: & ſpatio breui
Spem longam reſeces: dum loquimur, fugerit inuida
Ætas, carpe diem, quàm minimùm credula poſtero.

Et fruere tanquam tuo, tanquam à Deo conceſſo: & quid intereſt,

Seu mœſtus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Feſtos reclinatum bearis
Interiore notâ Falerni?
Omnes eôdem cogimur: omnium
Verſatur vrna: ſeriùs, ocyùs,
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impoſitura cymbæ.

VIRTVS. Omnes planè eôdem cogimur, &

Æqua tellus
Pauperi recluditur
Regumq; pueris. *Omnes mori, ſed præmiorũ diſcrimina eſſe.*

Quin &

Æqua

Æqua lege neceſſitas
Sortitur inſignes, & imos.
Omne capax mouet vrna nomen.

Sexuum, ætatis, opum, honorum diſcrimina mors ignorat: meritorum demeritorúmque nimis magna ſunt. Lazarus nos docet & Epulo: nam & nunc animas torqueri, fouerique, penes inferos, licet nudas & adhuc exules carnis, diuitis illius & pauperis probat exemplum: quid fiet cùm reſtitutis corporibus creſcet gloria & pœna? nulli autem animæ ſemel adiudicatæ inferos patere, ſatis credo, Dominus in argumento illo pauperis requieſcentis, & ingemiſcentis diuitis ex perſona Abrahæ ſanxit: quo magis ſollicitos nos meritò tenere renuntiatio illa infernæ ſupernæque diſpoſitionis debet: nec aberrat ab hac ſententia Lyricus:

Cùm ſemel occideris, & de te ſplendida Minos Fecerit arbitria;
Non torquate genus, non te facundia, non te Reſtituet pietas.

non reddet genus, non facundia, non eruditio, non opes, non pietas. Hæc tamen beatæ immortalitati dabit: illa

non

non dabunt: ſed & audi ab eadem manu remedium, à qua dederas vulnus.

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via,
Cœtusq́; vulgares, & vdam
Spernit humum fugiẽte pennâ.

Cœlum Virtuti recludit: vt videas huic incũbendum, qui cœlum amat: neque tu negare potes, non poſſe tranſire Deũ irremuneratos labores: nam ſi æquantur præmiis pœniſque boni iuxtà ac mali, exulet neceſſum omnis iuſtitia: qua qui nudauerit Deum, exuet Deum Deo: verbo; tollet de medio Deum: neque enim Deus eſſe poteſt iuſtitię pręuaricator & neglector: iuſtus verò eſſe nõ poteſt, ſi pro meritorum magnitudine præmia negat; ſi pœnis præmiiſque pariat, quos nõ pariarũt merita demeritáque; magis etiã, ſi præmiat improbos ſæuit in probos; ſi noxios innoxióſque pari ſupplicio ferit; ſi virtutum ac vitiorum in puniendo præmiandóque diſcrimina neſcit; ſi illaudata tranſit bona; ſi nulla labori merces, nulla ſceleribus pœna: neque ignorare hæc poteſt, qui

qui cœlum & inferos nouit.

VITIVM. Largiendum aliquid ætati: & quò aurum & opes, niſi vt profundas? aut ſi quis ſe ſpoliauerit prudens fortunæ bonis? quis venientes diuitias ſpernat? quis non cùm poſſit, paret?

Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quid vis facere, & pati,
Virtutisq́; viam deſerit ardua.

Paupertatis cōmēdatio.

VIRTVS. Cur non addis ex eodem, è mente iam non aliena, ſed ſua proloquentem?

Scelerum ſi bene pœnitet,
Eradenda cupidinis
Praui ſunt elementa, & tenera nimis
Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudiis.
Non enim gaza, neque conſularis
Submouet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum;
Nec leues ſomnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Paucis natura paratur.

Vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viuenti, iugera centũ, an
Mille

Mille aret: at ſuaue eſt, ex magno tollere aceruo.
Dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?
Vt, tibi ſi ſit opus liquidi non amplius vrna
Vel cyatho: & dicas, Magno de flumine mallem;
Quàm ex hoc fonticulo tantundem ſumere.
At mihi plaudo
Ipſe domi, ac ſimul nummos contemplor in arca.
Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina: quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur: congeſtis vndique ſaccis Auaritia damnata.
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Neſcis quò valeat nummus, quem præbeat vſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius: adde

Queis

Queis humana ſibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctéſque diéſque
Formidare malos fures, incēdia, ſeruos,
Ne te compilent fugientes: hoc iuuat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.
At ſi condoluit tentatū frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te affixit; habes qui
Aſſideat, fomenta paret, medicum roget, vt te
Suſcitet, ac reddat gnatis cariſq; propinquis.
Non vxor ſaluum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti pueri atque puellæ.
Miraris, cùm tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtet, quem tu mereris, amorem?

Non ſcitè Chriſtiannm expreſſit Philoſophum? pudeat ab his poſt Euangelium debere diſcere: & erubeſcat Chriſtianus poſt Chriſti ſui fœnum, pannos, ſtabulum; ab alta gentilitate vinci.

vinci. Et videamus quid ſentiat de opum magnitudine:

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Maiorumq́ fames,

Et alius:

Interea pleno cùm turget ſacculus ore
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit,
Et minùs hanc optat, qui non habet: ergo paratur
Altera villa tibi, cùm rus non ſufficit vnum,
Et proferre libet fines: maiórque videtur
Et melior vicina ſeges, mercaris & hanc, &
Arbuſta, & denſa montem qui canet oliua.
Quorum ſi pretio dominus non vincitur vllo,
Nocte boues macri, laſſóque famelica collo
Armenta ad virides huius mittuntur ariſtas:
Nec priùs inde domum, quam tota noualia ſæuos
In ventres abeant, vt credas falcibus actum.

Febri

Febri quadam, quæ præcordia depaſcitur, tanguntur tales: nullo reſtinguitur in his ſitis potu, accéditur: credas ligna fornacibus: iniici flammæ interimendæ: viuunt; non moriuntur lignis flammæ: vis ſedare? contemne: vis diues, non dico, audire, ſed eſſe? doce corpus modico contentum eſſe.

Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit vſus.

Et ſequere monentem Stoïcum: *Neceſſarium iudico, id quod tibi ſcripſi magnos viros ſæpè feciſſe, aliquos dies interponere, quibus nos imaginaria paupertate exerceamus ad veram: quod eo magis faciendum eſt, quò deliciis permaduimus, & omnia dura ac difficilia iudicamus potiùs excitandus ſomno, & vellicandus eſt animus, admonendusq; naturam nobis minumum conſtituiſſe. Nemo naſcitur diues: quiſquis exit in lucem, iuſſus eſt lacte & pane eſſe contentus ab his initiis, nos regna non capiunt.* Intuere Regum pueros, intuere pauperum: an diuite magis lacte illorum matres fluxerunt? opulentat ferè vbera egeſtas, pauperant deliciæ: diſtenta pannus integit; remiſſa, veſtit purpura: credas

gem

gemmas fluxum ſiſtere, laxare plebeiam togam: vt vberum inopes Regum matres, diuites ſeruorum ſint: quid? quòd opulenti plurimùm agraria filiis mutuentur vbera, cùm domeſticis careant? Iam ſi contenta lacte Infantia eſt, nec vberum diſcrimina nouit, cur non iiſdem circumſcribi limitibus iuuentus poſſit? diuites naturâ ſumus: inopes nos copia facit: quid? quòd eadem nos ad ſcelera ducat?

Nullum crimen abeſt, facinúſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit: hinc fluxit ad Iſtros,
Et Sybaris colles, hinc & Rhodos, & Miletos,
Atque coronatum, & petulans, madidumq; Tarentum.
Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Diuitiæ molles.

Friget nimirum ſine illis libido: & naufraga ſcelera ſunt, ſi opes ſubtrahas. Audet aliud, non ego, ſed poëta:

Ad ſcelus atque nefas, quodcumque eſt,

eſt, purpura ducit.

Dictum fortiter: nec abnuent quibus illud in ore, nam & antè in corde:

Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet: illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur, Diis atque ipſo Ioue digna, poëta:
Vnde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.
Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem,
Hoc diſcunt omnes ante alpha & beta puellæ.

Quid? quôd ad templorum decurramus vota, & patronum cœlo depoſcamus, & opes cœlo?

Prima ferè vota, & cunctis notiſſima templis
Diuitiæ vt creſcant, vt opes, vt maxima toto
Noſtra ſit arca foro, ſed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Elegantèr deinde aureas has preces votáque gemmea, & ſpe, ſuſpiriis,

adeóque & lachrymis diuites depingit, dolóſque doloſi retexit auri:

Auaritiæ preces & vota.

Haud cuiuis promptum eſt murmúrque humiléſque ſuſurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & vt audiat hoſpes.
Illa ſibi introrſum, & ſub lingua immurmurat, O ſi
Ebullit patrui præclarũ funus: & , ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria, dextro
Hercule: pupillumne vtinam quem proximus heres
Impello expungam: ô ſi angulus ille
Proximus accedat qui nunc denormat agellum.

Quàm altis hæc ſuſpiriis, imo pectore ductis, exurgunt? quàm ſeria petunt prece? Alia nos vota poëta docet, & totus in Chriſtianum pectus exurgit.

Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſallæ lippa propago,
Compoſitum ius, faſq; animi, ſanctóſque receſſus

Mentis,

Digitized by Google

Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto?
Hoc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.

Quàm verè, quàm benè, quàm ſanctè! potuit meliùs ab Apoſtolo, aut ab Apoſtolici ſeminis viro; potuit aliquid generoſius, & Deo dignius? Quin imò vis vitam beatam & curarum vacuam? audi non me, ſed veterem poëtam:

Securam vitam paupertas largitur & metu vacuam.

Scilicet & morbis & debilitate carebis,
Et luctum & curam effugies, & tempora vitæ
Longa tibi poſt hæc fato meliore dabuntur,
Si tantùm culti ſolus poſſederis agri,
Quantum ſub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica paſſis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladióſque Moloſſos.
Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vulneribus: merces ea ſanguinis atque laboris

Nullis

Digitized by Google

Nullis viſa vnquam meritis minor, aut ingrata
Curta fides patriæ, ſaturabat glebula ta-lis
Patrem ipſum turbamq́; caſæ, qua fœta iacebat
Vxor, & infantes ludebant quattuor, vnus
Vernula, tres domini: ſed magnis fratri-bus horum
A ſcrobe vel ſulco redeuntibus altera cœ-na
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri noſtro non ſufficit horto,
Inde ferè ſcelerum cauſſæ, nec plura ve-nena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpiùs vl-lum
Humanæ mentis vitium, quàm ſæua cu-pido
Indomiti cenſus: nam diues qui fieri vult,
Et citò vult fieri: ſed quæ reuerentia le-gum,
Quis metus, aut pudor eſt vnquam pro-perantis auari?

Digitized by Google

Quàm pulcrè Romanam paupertatem, & in ea felicitatem, & orbis imperio digniſſimos deſcripſit! Romanum nimirum eſt, beatius eſſe imperare diuitibus quàm diuitem eſſe. Ac ne nuda dediſſe verba videamur, decurramus ad exempla, exemplorum diuites.

Veterum Romanorum à pauperta-te commẽdatio.

Valerio Poplicolæ funeris lectus & rogus defuit, quare publica pecunia exequiæ ductæ. Agrippa verò Menenius, niſi à populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet, inſepultus iacuiſſet. De Attilio Valerius. *Qui à Senatu miſſi erant ad eum accerſendum ad imperium pop. Rom. ſuſcipiendum, ſemina ſpargentem viderunt, ſed illæ ruſtico opere attritæ manus ſalutem publicam ſtabilierunt, ingentes hoſtium copias peſſundederunt: nec fuit rubori eburneo ſcipione depoſito, agreſtem ſtiuam repetere.* Eiuſdem nominis & ſanguinis Attilij Reguli agrum colendum populus Romanus ſuſcipit, alimenta coniugi & liberis præſtitit, réſque quas amiſerat redimi publicè iuſſit: ſeptem omnino iugerum agrum poſſediſſe narrant; quid? quòd L. Quinctio Cincinnato quatuor iugera aranti dictatura delata ſit.

in quo

in quo illud Valerij: *Auguſtè ſe habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantũ Cincinnati rura patuerunt*, addit: *Quid Aelia familia, quam locuples? ſexdecem eodem tempore Aelij fuerunt, quibus vna domuncula erat, eodem loci, quo nunc ſunt Mariana monumenta.* Illud etiam eiuſdem de Tuberone memoria digniſſimũ. *Adeò inops deceſſit, vt niſi fundus, quem vnum reliquerat, vaniſſet, vxor eius dotem vnde reciperet, non exſtitiſſet. Patriæ enim rem vnuſquiſque, non ſuam augere properabat.* Hoc verò quàm admirandum, cùm Fabricij & Scipionis filias ab indotatis nuptiis ſenatus populúſque liberalitate ſua vindicauit? *quoniã paternæ hereditatis præter opimam gloriam, nihil erat quod acceptum referrent.* Ille Scipio, qui bellatricem illã, viris armiſque nobilem Hiſpaniam, hoſtilis exercitus ſeminarium, Hannibalis eruditricem, neſcio citiùs an faciliùs recuperauit; cui tam grande de Africa nomen, Aſdrubal cæſus, Syphax caſtris exutus, bis acie cæſus & captus, Italiæ victor Hannibal bello ſuperatus, dederat; dotandam filiam populo relinquit, indotatam relicturus, ni

Digitized by Google

parentis vicem populus ſubiret vt merito exclamet Valerius: *Exurgamus animis, pecuniaq; aſpectu debilitatos ſpiritus, priſtini temporis memoriâ recreemus.* Audeo dicere, imitemur exempla, ſi æmulamur gloriam: & quis hos maiores nollet? non pudeat ergo ſequi, ad quorum nomina non erubeſcimus; quin magis inſiſtamus veſtigiis, quos patres vellemus, turpe Chriſtianum vinci. Addo his aliud à Philoſopho:

Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

Opum contemptor Deo ſimillimus.

Nemo alius eſt Deo dignior, quàm qui opes contempſit: quarum poſſeſſionem tibi non inuideo, ſed efficere volo vt illas intrepidè poſſideas, quod vno conſequeris modo: ſi te ſine illis beatè victurum perſuaſeris tibi, ſi illas tanquam exituras ſemper aſpexeris. Non arbitreris hæc ab Euangelio profecta: & audiſſe vocem cælo delapſam, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum:* & , *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei?* Regnum promittitur renuntiatori regni, qualis omnis ſpiritu pauper eſt: nec ſpondet regnum, ſed in poſſeſſionem regni inducit

Cælorum regna pauperibus addicta.

ducit pauperes: nec pomiſſoria donatio eſt, aut nuda ſponſio, cùm clarè denuntiet: *Veſtrum eſt regnũ cælorum.* Iam quis ſimilior Deo, quàm qui dignatur regno ſuo? propiùs etiam rem tangamus, quas opes inuenis in Chriſto? quas opes cunæ preſepia, fœnum culcitra, aula ſtabulum loquuntur? niſi ſuſpiriorum, lacrymarum, ſanguinis diuitem voluiſſe velis. Has opes in delictorum ſpongiam concedo tibi: fruere, & beate illis, tanto vicinior Deo, tãto aſſimilatior, quãto opulẽtior illis.

VITIVM. Dura hæc, & decantanda eremo, quis in hoc ætatis robore inuolantem gloriam ſpernat? quis non fugientem inſequatur? quis tam ferreus vt negligat? tam indolatus & rudis, vt non ambiat? tam ferus & inhumanus, vt repellat? tam barbarus, vt nõ agnoſcat? tam ſtolidus, vt ſe illa exuat? quid non omnis retro antiquitas gloriæ dedit? huic vni ſudorem, vitam, ſanguinem quanti dederunt? Superior Africanus poſt ſubactam Hiſpaniam, proſtratam Africam, cùm mori non poſſit, viuere in Ennij carmine maluit, tot victoriis clarus, cùm perire

Gloria ſtudendũ veterum exemplo probatur.

non poſſet, niſi totius Italię, Hiſpanię, Africæ ruinis inſepeliretur, æternitati in Ennij calamo donari voluit: cuius etiam effigiem Cornelię gentis inſcribi monumentis voluit, dignior omnino Homerico aut Virgiliano quàm tam rudi ac imperito præconio. Es non Magnus Pompeius rerum à ſe geſtarum Theophanem Mitylenæum ciuitate donauit, oratione extulit? referre gratiam voluit, & gloriæ ſuæ decantatori gloriam reponere. Non taceo illud Valerij de Themiſtocle: *Quem ferunt ſtimulis virtutum agitatum, & ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus, quid ita eo tempore in publico verſaretur, reſpondiſſe, Quia me tropæa Miltiadis de ſomno excitant. Marathon nimirum animum eius, & Artemiſium, & Salamis naualis gloriæ fertilia nomina illuſtranda tacitis facibus incitabãt. Idem theatrum petens cùm interrogaretur cuius vox auditu illi futura eſſet gratiſſima, dixit, Eius, à quo artes meæ canentur optimè. Dulcedinem gloriæ penè adiecit glorioſam.* Alexãdrum verò Magnum quis non obſtupeſcat? vno tantùm mundo gloriam ſuam claudi doluit, vni ſcilicet

licet homini auguſta poſſeſſio eſt, quæ ampliſſima Deo eſt, quibus ſtimulis huncactum credas? Quid? quòd Marius duriſſimi ad laudes ingenij Cicerone teſte, C. Plotium dilexerit, quod illius calamo ſperaret ſe poſſe celebrari? & Sulla ſcriptorum neglector, annulo tamẽ ſignatorio Iugurthæ à Boccho traditionem circumtulit, vt non immeritò Cicero: *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid eſt, quòd in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? Certè ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi, quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas: nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis vigiliiſq; angeretur, neque toties de vita ipſa dimicaret. Nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandã. An verò tam parui animi videamur eſſe omnes, qui in Repu-*

Virtutis mercedem gloriam eſſe.

blica, atq; in his vita periculis laboribusq; verſamur, vt, cùm vſque ad extremum ſpatiũ nullum tranquillum atque otioſum ſpiritũ duxerimus, nobiſcum ſimul omnia moritura arbitremur? Ac, cùm ſtatuas ac imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſè multi ſummi homines reliquerunt, conſiliorum relinquere ac virtutum noſtrarum effigiem, nónne multò malle debemus ſummis ingeniis politam? Et præmia in factorum fortium teſtationem, gloriæ augmentum omnis ætas, gens omnis detulit. In Superiore Africano illud Valerij eſt: *Imaginem in ſella Iouis opt. max. poſitam habet: quæ, quotieſcunque funus aliquod Corneliæ gẽtis celebrandum eſt, inde petitur, vniq; illi inſtar atrij Capitolium eſt.* Ad ſimilis etiam generis officia Superioris Catonis effigies expoſita. Illud magnum & nouum, cùm Græcia vniuerſa Gorgiæ Leontino ætatis ſuæ oratori maximo, in Apollinis Delphici templo, è ſolido auro ſtatuam poſuit: quid? quòd eadem gens Amphiarai ſepulcro templum inædificauerit? Iam cùm Ariadne ſertum ex auro & Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus; cùm

Iuno

Iunonis vitem Callimachi donum; cùm Herculis nunc populum, nunc oleaſtrum, nunc apium videmus; cùm Argis ſignum palmite redimitum, Apollinis lauream, hederam Liberi, Iſidis ſpecas, Pandorę caput à Charitibus coronatum, à Pherecyde Saturni videmus, quid niſi fortium factorum præmia gloriam laudamus? cur non & ſperemus? de qua illud Ciceronis, *ampliſſimum eſſe premium gloriam, & eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoriâ conſolaretur: quæ efficeret, vt abſentes adeſſemus, mortui viueremus: hanc denique eſſe, cuius gradibus etiam homines in cælum videantur aſcendere.* Atque hinc illæ maiorum prudentiſſimorumque virorum ſtatuæ & imagines, vt haberet poſteritas quod imitaretur, & ad paria excitaretur, hinc ouationes & triumphi, hinc magna illa retro nomina tanto ambitu deſiderata. Quis enim nô lubens inter maiores Brutos, Poplicolas, Camillos, Fabritios, Curios, Dentatos, Fabios, Scipiones, Pompeios, Lucullos, Metellos, Lentulos, Æmilios, numeret? tantus nimirum inditus mortalibus glo-

Digitized by Google

riæ ardor, vt etiam alienâ virtute iuuet eſſe magnum; &, cùm propria careamus, à maioribus gloriam mutuemur, tranſire nimirum in nepotes parentum decus, & cum ſanguine gloriam miſceri, felici virtutum & ſeminis traduce, arbitramur.

VIRTVS. E tuis repono, ne quid à meis mutuatum me inclames:

Vera nobilitas è virtute, nō è maioribus petenda.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſq; oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Aemilianos:
Et Curios iam dimidios, naſumq; minorem
Coruini, & Galbam auriculis naſoq; carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Fumoſos equitum cum Dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis malè viuitur:
Tota licet veteres exornent vndique cera
Atria: nobitas ſola eſt atque vnica virtus.

Paullus,

Paulus, vel Coſſus, vel Druſus moribus eſto,
Hos ante effigies maiorum pone tuorum.
Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis? nanum cuiuſdam Atlanta vocamus:
Aethiopem cygnum: paruam extortamq; puellam
Europen: canibus pigris ſcabiéque vetuſta
Leuibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ
Nomen erit pardus, tigris, leo, ſi quid adhuc eſt,
Quod fremit in terris violentiùs.
Tumes alto Druſorum ſanguine, tanquam
Feceris ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſes.
Vos humiles, inquis, vulgi pars vltima noſtri,
Quorum nemo queat patriam monſtrare, parentes.
Aſt ego Cecropides: viuas, & originis huius

Gaudia longua feras tamen illa plebe Quiritum
Facundum inuenies: ſolet hic defendere cauſſas
Nobilis indocti.
Dic mihi Teucrorum proles, animalia muta
Quis generoſa putet, niſi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Feruet, & exultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocumq; venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.
Hæc ſatis ad iuuenem, quem nobis fama ſuperbum
Tradit, & inflatum plenumq́; Nerone propinquo.
Rarus enim ferè ſenſus communis in illa
Fortuna, ſed te cenſeri laude tuorum
Pontifice noluerim, ſic vt nihil ipſe futura
Laudis agas: miſerum eſt aliorum incumbere famæ.

Libera

Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?
Malo pater tibi ſit Therſites, dummodò tu ſis
Aeacidæ ſimilis, Vulcaniáque arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles:
Et tamen vt longè repetas, longéque reuolnas
Nomen, ab infami gentẽ deducis aſylo.
Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Liberè, fortiter, eleganter, verè: non quòd damnem nobilitatem: probo: ſi maiorum claritati morum probitas claritáſque reſponderit laudo: magis: ſi maiorum luci maior à nepotibus virtutum lux accedat: ſi non tam mutuentur ab auis atauíſque nepotes, quàm à nepotibus aui. Primam ergo nobilitatẽ in cuiuſque animo ſtatuo: alterã in maiorum. Bene Democritus rogatus in quo conſiſteret nobilitas; *Vera nobilitas à morũ nobilitate petenda.*

Pecu-

Pecudum, ait, in valido corporis habitu; hominum, in morum probitate: eadẽ accepimus à Theopompo & Theocrito. Ciceroni verò cùm generis ignobilitas obiiceretur, Satiùs, inquit, meis me geſtis florere quàm maiorum opinione vti, & ita viuere vt ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Harmodio autem, cùm Iphicratis maiorũ obſcuritatem rideret, reddidiſſe Iphicrates narratur, A me genus duxit originem, in te deſiit: acutè. Et quem nunc nobilium pudeat Tullium Hoſtilium, aut Tarquinium Priſcum, aut Seruium denique Tullium patrem habuiſſe? primi tamen incunabula agreſte tugurium cœpit, ſecundus patre Corinthio mercatore natus, tertium è verna regem Roma vidit. Et erras longè, qui cùm ſemine tranſmitti morum nobilitatem arbitraris: non magis quàm ſcelera, quàm improbitas, quàm mens nõ caſta, barbara, impia: nec magis quàm animus plebeius: qui ſi tranſit in poſteros, plebeios habebimus omnes, cùm à ligonibus & ſarculo omnes.

De gloria verò & honorum ac dignita-

gnitatum ambitu quid dicam? Non amo fugitiuã ſæculi gloriam, magno ſæpè luendam: non dignitates, quibus primorum plerumque naufragia aut præcipitia adiacent: ſciunt Catuli, Carbones, Octauij, Cicerones. Non amo ſæculi honores, quia nec ignes amo: & non ignis honor, quo mortaliũ plerique amburuntur? ſciunt Flauij, Cabreræ, Caracioli, Cleandri, Ruffini, Ablauij. Non amo hæc præmia inuidiâ ac odio grauida: ô non ſciant ſæculi noſtri magni! Non amo hos publicorum munerum ſcopulos ſanguine ſuorum tanquam fluctibus lotos, exilio & carcere obnubilatos: ſciunt Manlij, Alcibiades, Pauſaniæ, Miltiades, Hannones. Non amo dubia arma hauſto datóque ſanguine cruentatã: ſciunt Craſſi, Pompeij, Reguli, Syphaces, Aſdrubales, Hannibales, Catones. Pyrrhi. Non amo rapta imperia ſanguine plurimùm luenda: ſciũt Cæſares, Iugurthæ, Perſei, Ottones, Vitellij, Antonij, Ariſtonici, Andriſci, Dionyſij, Polycrates, Phocæ, Baſiliſci. Non amo diademata in crudelitatem, ac in domini tandem caput abitura: ſciunt

Sæculi dignitates innumeris obnoxia difficultatibus, & infelici ferè exitu ſignata.

ſciunt Nerones, Domitiani, Caligulæ, Claudij, Phyſcones, Ochi, Arthaxerxes, Phalarides. Mithridates. Non amo honores ferro manúque paratos, quęrentium ſanguine funeſtatos ſciunt Cethegi, Lentuli, Catilinæ, Sertorij Viriathi. Non amo magna vota in popularem ſeditionem abitura, ſciunt Gracchi, Saturnini, Druſi, Melij. Non amo æmulas in Republica de dignitatis prerogatiua concertationes: ſciunt Marij, Sullæ, Cinnæ, Antonij, Lepidi. Non amo purpuram cocco & ſanguine tinctam: ſciunt Thomæ, Leones, Leontij, Iuſtiniani, Valẽtes, Mauritij, Nicephori, Gauderici, Gilimeri, Attulphi, Alarici, Attilæ, Theodorici, Vitiges, Roſimundi, Rodoaldi, & Romanorum pleríque orbis imperio nobiles, alieni aut ſui ferri victimæ: miſera regna, Regum ſanguine purpurata! Non amo regium ſanguinem ſanguine litandum: ſciunt Tiberij filij Germanicus & Druſus, Caligulæ ſocer, Silanus, Neronis frater Britannicus priuignus Rufini Criſpini, Domitiani patrueles Flauius Clemens, & Flauius Sabinus. Non amo Regum amores,

tam

tam diu firmos quãdiu vtiles, quamdiu nulla è quacunque cauſſa indignatio, aut amica purpuræ ſuſpicio intercurrit: ſciunt Eutropius, Stilico, Seianus, Beliſarius, & Alexandri Lyſimachus, Clytus, Calliſthenes, Attalus, Lynceſtes, Parmeniõ, de quo illud Curtij: *Multa ſine rege proſpera, rex ſine illo nihil magni rei geſſerat.* Philotas, cuius doctæ defenſionis nobile hoc initium: *Verba innocenti reperire facile eſt, modum verborum miſero tenere difficile: itáque inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam fortunã deſtitutus, ignoro quo modo & animo meo & tempori peream: abeſt quidem optimus cauſſa meæ iudex, qui cur me ipſe audire noluerit, non me hercule excogito: cùm illi vtrimque cognita cauſſa, tam dãnare me liceat, quàm abſoluere: non cognita verò, liberari ab abſente non poſſum, qui à præſente damnatus ſum.* Fortiter exinde innocentiam tuetur: ſed obſurduerant aures, & perdere cum patre filium volebat: crimen quærebatur: deeſſe ſceptro nunquam poteſt: nam, quod de Tiberio, omne quod purpuræ placuit crimen capitale eſt: diſcrimina diademata neſciunt:

neſciunt:exilij in Collatino,Camillo, Coriolano, Ahala,vtroque Scipione, Lentulo, Hannibale, Lycurgo,Ariſtide, Solone, Phocione, Themiſtocle cauſſam repererunt; damnationis in Claudio, Nerone, Liuio Salinatore; vinculorum in Cimone; pecuniarum in Pericle & Timotheo;mortis in Socrate, Theſeo, Pauſania, Heluidio, Thraſea,Seneca: quid?quòd & in Romulo conditore ſuo?

Et quid tu mihi magna recenſes nomina gloriæ famulabunda? quæ, ne quid irrepercuſſum tranſiſſe me dicas, tanquam perpaucis: ille Hiſpania & Africa ſubacta magnus Hannibale victo maior Scipio, non deſertæ ignobilis paludis accola moritur, & ſepulcro inſcribi mandat: *Ingrata patria ne oſſa quidem mea habes?* cuius fratrem Aſia imperio adiecta clarum, non peculatus reum Roma vidit?Minor verò Africanus geſtarum gloriâ prioribus par,non raptorem ſpiritus domi inuenit,cùm punitorem in foro non reperiret? non Naſica vitæ reliquum Pergami, ſine ingratæ patriæ deſiderio peregit? Iam quàm mercedem ex eadem

dem gente Lentulus tulit, niſi ne in vrbe moreretur? præmium hoc fuit fractæ Gracchanæ ſeditionis. De Magno Pompeio quid dicam? ſpadonis & pupilli ferro Magnus iacet: & morte ſua docet, quid ſperare poſt magna quiſque poſſit, quid debeat. Themiſtoclē verò ad victi hoſtis genua procumbētem video: coëgit patria, quàm Græciæ totius principem ferro ſuo firmauerat: cōfide patriæ: & à qua exilia vides, gloriam ſpera. De magno Alexandro quid eloquar? loquetur pro me Scytharum legatus. *Si dij habitum corporis tui, auiditati animi tui parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet, altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres: & hoc aſſecutus, ſcire velles, vbi tanti Numinis fulgor conderetur. Ignoras magnas arbores diu creſcere, vna hora extirpari? ſtultus eſt qui fructus earum ſpectat, altitudinem non metitur. Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo conſumit. Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab inualido. Quid tibi diuitiis opus eſt, quæ te eſurire cogunt? primus omnium ſatietate paraſti famem: paupertas noſtra velocior*

Digitized by Google

lucior erit : quàm exercitus tuus, qui prædam tot annorum vehit. Proinde fortunam tuam preſſis manibus tene, lubrica eſt, nec inuita teneri poteſt. Impone felicitati tuæ frenos, faciliùs illam reges. Prudenter, & à barbaro ore non barbarè. Marium ciuili ſanguine natantem è Minturnẽſium paludibus extractum, cæno oblitum, tremulum, ſenem in domo Fanniæ meretricis inglorium videbis. Iam quid tu mihi Sullam ciuili ſanguini tanquam Oceano immerſum? ciuium ſeptuaginta millia apud Collinam cõciſa video: quatuor deinde in pace legiones tanquam in Circeo ludo obtruncatas Valerius narrat, quinque millia Præneſtinorum inermia, quatuor verò millia & ſeptingentos proſcriptionis edicto iugulatos, duo Senatorum ac equeſtris ordinis millia iuſſa mori: quin & ſæuitum in mulieres: & quod immauiſſimum, ſpirantia cæſorum capita in conſpectũ adferri iuſſa, vt paſceret animum, cùm ventrem non poſſet: non longè ab illo quem *viuo ſcelerantem ſanguine fauces* Thebæ viderunt. Et hanc tam barbaram mẽtem adducis in imitandæ

tandæ gloriæ exemplum? bene eſt, quòd conuulſo ex indignatione pectore, cruore miniſque animam euomuerit: nec potuit aliâ morte mori, quàm vt ſanguinis flumina reuomeret quæ biberat, De Cicerone nihil dico: doleo: illud hîc tamen non taceo:

Informes vultus, ſparſamq; cruore nefando
Canitiem, ſacráſque manus, operumq; miniſtras
Tantorum, pedibus ciuis proiecta ſuperbis
Proculcauit ouans, nec lubrica facta deóſque
Reſpexit.

Hîc ferè exitus magnorum, vt ſanguine gloriæ ſuæ ſcenam claudant. De præmiatrice Græcia mirum te meminiſſe, qui ignorare non poteras, in Miltiade, Cimone, Themiſtocle, Pauſania, Phocione, Pericle, Timotheo, Alcibiade, Ariſtide, Solone, Socrate, aliiſque propè innumeris, pecuniam, vincula, exilium, morté: hic nimirum conceſſæ gloriæ terminus, ac tanquam victoriæ laurea: vnum remunerata eſt? quinquaginta inglorios dimiſit,

plo

Digitized by Google

pleróſque etiam ſanguini ſuo immatantes: interim Oedipodis oſſa cæde patris, matríſque nuptiis contaminata templo aráque tanquam ſacroſanɛta decorauerit, ac venerata ſit. Hæc ſcelerum præmium & gloria; benefactorum merces mors, vincula, exilia. I nunc, & fide ſæculo: poſt tot funeſta primorum ferè orbe toto exempla gloriam ſpera: purpuræ inſuda bis tingendæ alieno & tuo ſanguine, diademata cogita ſecuribus litanda, ſceptra meditare ferro fodicanda; dignitatibus incumbe tam magno parandis, fouendis, tam magno ferè luendis: quid ætatem vniuerſam hîc tiaræ, ibi ſceptro, alibi Reipublicæ ſacras? Non ſat magna omnis retro ætas documenta dedit? non ſat tragœdiarum in magnorum iugulo? taceo interlabentes medio curſui ſudores, mœrores, odia, hoſtiles molitiones, dolos, detractiones, ſubuerſiones. Quid tã dubiis, tam fallacibis incumbit? tutiora prudens ſequere. Deo vitam & ætatem omnem ſacra: illi annos cœlo remunerandos, illi dies noctéſque cœlo reponendas, illi ſtudia & ſudores felici æternitate

fœnẹ

Digitized by Google

fœnerandos, illi opes & honores cœlo purpurandos, illi ſceptra & regna, cœlorum ſceptris regníſque commutanda: beata viciſſitudo, fortunata commutatio: quâ perituris fugientibúſque æternatura ſuccedunt, ad quæ te voco.

De coronis veterum.

De coronis, quas in diuinitatis mendacium Diabolus à primordio mendax inuenit, quid reponam? tu mihi Pandoram, quæ ſi fuit, meretricio nobilitata eſt? de Ioue, Ariadne, Iunone, Hercule: Apolline, Libero, Iſide taceo: nolo caſtam chartam lupanaribus inceſtare: nec quiſquam paulò honeſtior non erubeſcat ad horum coronas: vt, niſi laudem ſcelera mereantur, laudari hæ coronæ propudioſis hiſce ſcelerum inuentoribus conſecratæ non debeant.

De ſtatuis gloria poſitis.

De ſtatuis quibus donari bene meriti ſolent, nihil damno: vtinam merentibus, & illis tantùm! Nunc apud veteres, maximè Romanos Græcóſque, è ſceleribus aut ſordibus numina reperta, & ſtatuę ſolemni ritu ſacratę, & iam non ſtatuæ; ſed Deus à ianua Ianus, à limine Limentinus, à foribus

Forcu

Forculus, à cardinibus Carda: taceo Palloreni, Febrem, Cloacinam, Stercutium: taceo omnis honeſti proſtitutricem Venerem, ouorum progeniem Dioſcurum, Iſidem membratim laminatam, Atym ſpoliatum viro, Iouem, Apollinem, Dianam per fugam circumlatos, quibus nobiliſſimæ, vario marmore, Numidico, Niliaco, Biſaltico, æthiopico, Indico, Cretico, Leneſi, Chienſi; æréque vario, Cyprio, Campano, Cordubẽſi, Corinthio, Æginetico, Deliaco, ſtatuæ poſitæ, factorum pręmia, proculcatæ nimirum in feminaviróque pudicitiæ, nulla vel vnius vteri parcimonia. Et hos, illa laudadata tibi Roma, omnium gentium gloriæ æmula, non ſtatuis venerata, ſed ſtatuas deos voluit in Camillis, Valeriis, Æmiliis, Horatiis, Brutis, Scipionibus, Pompeiis, Metellis, Cæſaribus, ſtatuis contenta: nec vltra ſtatuas gloria: in illis è lapide & ære Deos fabricata eſt: beatæ rupes & Vulcaniæ fornaces, quæ Romano Imperio Deos dederunt: magnum malleis & incudibus ædificare Deos: at quanto maior Deo, figulator & mal-

leator

leator Dei eſt? & quæ maior gloria quàm fabricare poſſe deos? non magis omni triumpho eſt, adeóque & orbe ſubacto, magnum cæli Numen, quod terrarum moderatrix Roma veneretur, & colat, & Deum habeat?

Neque hæc dico quòd omnem gloriam damnem? quin adeò ad gloriam te voco, non huius orbis; interit, & cum ſuo ſæpè auctore ſepelitur: nec infrequenter ante ipſum, quòd ſi ſepulcro ſuperſit; breuis tamen vita illius eſt, & ſola mora occidit. Ad nunquam interituram te voco; victuram ſemper, cælo repoſita hæc eſt, ignorat terras, ſed neque poteſt recondi terris, non moritura; nec morituro recõditorio claudi. Ad æternam ergo te voco gloriam, ad quam natus es, cælo natus: æternitati natus: nec poteſt aliud commenſurari animæ æternæ, niſi æternum, cui pariauit animam Deus, non morituro non morituram, ad quam ergo creatus es, te voco, quid gloriam quæris perituram? æternam ſpondeo, præluſerunt huic etiam pueri feminęque, pudeat ab his vinci. Nec magno opus molimine, contem-

Vera gloria & dignitas cælo repoſita.

ne tantùm hanc ſęculi gloriam, & æternam ſpera, audeo, contemne, & æternam ſpondeo, non ego; ſed Deus, mentiri non poteſt Deus: & quid magnum peritura contemnere, & æternis hæc poſtponere? quis prudens non ante ferat certa dubiis, tuta fallacibus, firma lubricis, æuiterna perituris? illa ſpondeo, & ad illa te inuito: non præſcribam ardua, non Herculeos ſudores, labor non magnus eſt, & paruo æterna parantur: Deum ſequere. Chriſti tui imperia, mores, conſilia ſequere, nihil imperat, non tritum antè, prior ipſe calcauit hanc viam ad quam te voco, ſecutæ etiam puellę necdum alteram ætatem ingreſſæ: turpe virum ab hac vinci. Sed & tacitus ſcrutare tecum quid imperet Chriſtus tuus, nemo tam puer eſt, qui pręeuntem ſequi non poſſit, factum à pluribus, nec alia via eſt quæ ad cælorum imperia ducit, ingredere, non magno magna parabis, imò, leui pretio, ac per luſum veriùs quàm per ſudorem æternatura imperia parabis, omnibus ſæculi regnis, ipſiuſque orbis imperio, mille modis maiora, æterna te ſic regna manent,

Digitized by Google

nent, quid times? vltrò efferuntur: quis oblata reſpuat regna? extende manum porrigenti, & æternùm fruere.

Vitivm. Aliquid etiam largiendum terris, altera hæc mater eſt, ac ne moroſiorem me arbitreris, diuidamus ætatem: primam terræ, maturiorem dabimus cælo.

Virtvs. Largire terris: at, non maiora debes Deo, à quo hæc anima & corpus? non melior ille tibi pater & mater? non illius manibus figulatus, illius afflatu anima donatus? Iam quis maturiorem ætatem ſpondeat? non plures rapti primâ iuuentâ? enumera cana capita, & vide quot viridi adhuc culmo mors demetat, adeoque & in ſemine euellat, quoties *Vita breuitas, incertitudo.*

Mediâ cecidere abrupta iuuentâ
Gaudia florenteſq́ manu ſcidit Atropos annos!
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubenteſq́ roſæ primos moriuntur ad Auſtros,
Aut vbi verna nouis expirat purpura pratis.

Vitivm. Sed multi maturiorem

ętatem tenuerunt.

VIRTVS. Plures non tenuerunt, quid ſi è plurimis hic ſit vnus? & non verum illud poëtę:

Nemo tam diuos habuit fauentes,
Craſtinum vt poſſet ſibi polliceri?

VITIVM. Quid ſi è multis hic ſit vnus?

VIRTVS. In dubiis, certa prudens eligit, maximè cùm ęternitas in medio eſt pœnarum & pręmiorum:

Prouidentia in peccatis vitanda.

Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando inuenit.

VITIVM. Pœnitentia diluet, ſi quid indulgentiùs conceſſum, dictum prudenter:

Nemo deſperet meliora lapſus.
Quem namque *pœnitet peccaſſe, penè eſt innocens.*

VIRTVS. Quis illam largietur? & quale illud eſt, quòd pœnitentia eluendum eſt? & non conſultius non pœnitẽda committere, quàm cõmiſſa diluere? & cur non addis illud poëtę tui,

Nemo confidat nimiùm ſecundis?

Et non, *Grauis animi pœna eſt, quem poſt factum pœnitet?* antè pudeat, ne pœniteat ſeriùs.

VITIVM.

Digitized by Google

VITIVM. Benignus Deus eſt, quis clementię illius terminos ponat? *Dei benignitas, ſpem: iuſtitia timorem ſuadet.*

VIRTVS. Iuſtus Deus eſt, quę ſcelera ſtabunt impunita? & non

Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus?

ac, vt benignitatis non minimùm intercurrat, non grauitate tarditatem pœnę compenſat? vt dictum verè ſit:

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

VITIVM. Pepercit multis. Niniue mihi. Dauid, Publicanus & Zachęus teſtes, & tot orbe millia.

VIRTVS. Perierunt plures, & quid Niniue ciuitas vna ad reliquum orbem? memento Sodomę, & vicinarum ciuitatum, memento Core & Dathan, Ananię & Saphirę, & tot millium ex Iſraël, & omni gente.

VITIVM. E multis hic eſſe poteſt vnus.

VIRTVS. Poteſt eſſe è plurimis, & nō iuſtior metus ſociandum plurimis in interitum quàm in ſalutem paucis? quod ſi euenerit, quę pœnitudo eluet?

VITIVM. Vno ſuſpirio, paucíſque lacrymis, deleri plurima poſſunt ſpongia hæc delictorum ſunt.

Incerta poſt delictum pœnitentia.

VIRTVS. Quid deligis delenda lacrymis? aut quis felicem hanc ſpongiam promittat delinquenti? qui mentem, otium, tempus? quantis ipſum delictum mors ſecuit, vt necdum integro crimine caderent? quanti innocua manu, ſola mente noxia ceciderunt?

VITIVM. Verùm ſperanda meliora.

VIRTVS. Deteriora timenda ſunt.

VITIVM. Sempérne in timoribus mortis & futurorum? quę hęc vita eſt?

In alta pace æternorum cogitatio ponit.

VIRTVS. Eximere te his potes, & alta æternùm pace frui, ſequere monentem Deum, & ęternorum felici exſpectatione animum paſce: ſcelera deuita, & in alta pace eris, probitati comes tranquillitas eſt, improbitati turbatio.

VITIVM. Incerta hęc ſunt, & dubio ferè exitu luenda.

VIRTVS. Quid certius ſponſionibus diuinis? fallere non poteſt Deus, non magis quàm falli.

VITIVM. Verùm quoties probam vitam infortunato exitu funeſtarunt multi?

VIR

VIRTVS. Erras, non clauditur probitas infelici fine, finit bene, qui vixit bene. *Vitam probam mors ſecura ſequitur.*

VITIVM. Quid? non improbam vitam beato fine ſignarunt multi? teſtis mihi latro.

VIRTVS. E centum millibus fors vnus, aut alter, & quis pendentis de cruce latronis vnius exitum ſperet, inter tot orbe toto latrones? vnum conceſſit Deus, deſperationi in remedium; vnum tantùm, pręſumptioni in terrorem. *improbā vitam mors miſera.*

VITIVM. Non ignorat Deus pronam in delictum humanam mentem, cùm ſciat quàm infelici traduce fluxerit hoc malum in omnes, quare non tantùm facilis in indulgentiam eſt, ſed & labenti manum porrigit, & erigit non rogatus.

VIRTVS. Facilis omnino miſereri Deus & labantes quidem prouocat, inhortatur, minis terret, pręmiis allicit, at quàm rari vocantem audiant, ipſe teſtatur, vuarum poſt racemationem raritate, ſpicarum poſt meſſem, & non verba illius ſunt, *Multi vocati, pauci verò electi?* & non plus iuſtiſſimi *Multa tutelaria*

præſidia data homini contra peccatum.

timoris, ne hic è multis; quàm ſpei, ne è paucis ſit? Et pronem fateor humanam naturam in delictum iaminde à vetitæ arboris delibatione; ſed tot illam gratuitis ſepſit Deus donis, vt nec roboris quidquam, nec armorum deſiderare poſſit in tutelam.

VITIVM. Fateor non deſtituere Deum hominem in interitum, ſed graue eſt ſemper luctari, ſemper in arena viuere & circo.

Bella à ſceleribus, à probitate pax.

VIRTVS. Maiora à ſceleribus bella naſcuntur, & inteſtina à delictis exurgunt odia, non niſi cum morte ponenda, à probitate pax alta; & ſi quę pugnę, in triumphum ſunt.

VITIVM. Vt ſint in triumphum, at dura victoria eſt quę ſanguine paratur.

Gaudet arduis virtus.

VIRTVS. Imò gratior victoria ſanguine parta, & neſcio quomodo cariora ſint, quę magno venerunt? ſudoribus, vulneribus, ſanguine emiſſo, omnis vbique ætas in laude poſuit, & quę magna paruo conſtant? vileſcunt empta paruo magna, vt magna ſint, magno ſtare debent. Et verum illud ſemper,

Serpens,

Serpens, ſitis, ardor, arena
Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.
Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat
honeſtum.

VITIVM. E multis hic fors eſſe optabit, & ſorte contentus ſua, ad præſentia, & non magno parabilia, manum extendet.

VIRTVS. Non ſunt hæ cogitationes generoſioris animæ, ſunt plebeię. *Crimen miſerum facit, non probitas.*

VITIVM. At miſerum eſt, ſemper eſſe miſerum.

VIRTVS. Ita eſt, infeliciſſimum eſt, bis eſſe miſerum, hîc, & æternùm, nulla probitas miſerum facit, crimen facit: cùm delictorum conſcientia perpetuus carnifex, & futurorum memoria terreat.

VITIVM. Et quid infelicius quàm nudari præſentibus? *Æterna præſentibus potiora.*

VIRTVS. Quid infelicius quàm veſtiri præſentibus, nudari æternis; indui perituris, ſpoliari perennibus?

VITIVM. Durum eſt non frui, cùm poſſis, optatis.

VIRTVS. Dulce eſt carere perituris, vt fruaris æternis.

VITIVM. Fatuitatis quoddam ge-

nus eſt exuere ſe his ſæculi magnis, cùm frui poſſis.

VIRTVS. Prudentia ſumma eſt, exuere ſe perituris, vt induaris æternis, & quæ ſunt ſæculi huius magna, ſi componantur cum æternis?

VITIVM. Non meretur opes, honores voluptates, qui negligit, qui contemnit.

Digniſſimus opũ & honorum eſt, qui contempſit.

VIRTVS. Digniſſimus horum, contemptor eſt, & non ſequitur contemptorem ſuũ, honor? non meminiſti veteris Romę? Honoris ac Virtutis ędes iunctim locarant; cùm putarent ibi eſſe præmia honoris, vbi merita forent virtutis, hæc verò periturarum contemptrix eſt, æternarum ſtudioſa.

VITIVM. Vt miſerum eſt deſtitui fortunæ bonis, ita inhumanum non frui, cùm poſſis.

Felicitatem animo, non opibus metiendam.

VIRTVS. Magnus ille eſt, qui ad id ſe reduxit, quod eripere nulla fortunæ iniquitas poteſt, magnus, cuius felicitas à fortunę felicitate non pendet, magnus, qui ad illum verticem conſcendit, ad quem nullę fortunę manus, maximus, qui ſuæ ſibi felicitatis fabricator eſt, ſolius Dei indigus, miſer qui felicitatem ſuam à fallaci fortunæ fe-

Digitized by Google

licitate mutuatur: qui omni hora conſiliorum fortunæ incertus, hæret dubius, ſemper pendulus.

VITIVM. Miſer, cui nulla culina fumat, nulli coqui ſudant, nulli ſerui decreſcunt. *De ciborum apparatu.*

VIRTVS. Felix, qui è paupere victu omni hora parabili, ad legumina nimirum & aquam, gulam deduxit, tu te conſule, ſtomachum dico, cui illa parantur, dicet ſaturari ſe velle, nec vltrà, & quò mihi coqui qui domini cenſum nouis in luxum condimentis mergant? quò cibus coquorum ſudoribus irroratus? Vis dicam? plus manuum, plus ſordium; ita fit, vt, dum exercitum in culina vides, & pateris, ſordium agmina & flumina bibas & comedas. Et quò mihi ſeruuli, ſi manus habeo famulantes non à dignioribus ſuis, quàm a ſeruulorum manibus obſequia parantur? & non ignauię ſignum eſt, alienis vti, cùm poſſis tuis? quis alieno ore, manibus, ſtomacho, oculis, pedibus, ambulaſſe, vidiſſe, comediſſe, bibiſſe contentus, felicem ſe arbitratus fuit?

VITIVM. Quæ hæc plebeia vilitas,

cibum manibus ſuis parare, potum temperare?

Virtvs. Imò, quæ ignauia alienis parare, cùm poſſis tuis? nam ſi plebeiũ parare eſt, non & plebeium comedere eſt? & quid vilius, manibus comedenda parare? aut ori parata præbere? aut ſi hęc vilia, alieno neceſſum ore comedas, & reliqua naturę alienis peragas, quò generoſior habearis, & à plebeia conſuetudine remotior.

Vitivm. Quid? te conſule, non pulcrum delectum habere ciborum, vt deligant oculi è multis, quò famem expleant?

Virtvs. Quis non rideat fatuum ferculorum exercitum? vno milite expugnare hoc caſtrum potes, quò tot legiones? & quid laboras copia? vno contentus ſtomachus eſt, quò huic ſiluę, prata, maria, flumina, aër, terrarumque vltima fatigantur? vis ſaturari, aut fatigari? vis implere, aut farcire ventrem? vis etiam cum voluptate? poſt ſarculos & horteos ligones, plus ex hordeacei panis fruſto voluptatis capies, quàm ex denſis ferculorum agminibus; quę famem prouocare ſtudent, non explere, quæque primis fer-

culis ſedatam, mille condimentis reuocare conantur. Vis denique ciborum omnem apparatum contemnere? intuere ſtomachum eſcis ſtipatum, dum de coquendis inæſtuat ſordibus, & præmeditatorium fit latrinarum; & cum Philoſopho, ſpecta exitum, & ruſticum ab aulico ſecerne cibum.

Vitivm. Quid gratius, quàm grata libare omnium gentium, omniúmque vbique populorum vina, vt in ſingulis ſingulorum bibas referáſque ingenia?

Virtvs. Quid quæris in potu? non ſitim reſtinguere? certiùs aquâ quàm vino facies: & quid circumſpicis vina? non ſat magna exempla habes proditæ, aut indefenſæ patriæ; traditi, aut deſerti exercitus? blãditur vinum: non nego: at memento blandientis leonis & ſerpentis veſtigia hæc eſſe: feritatem ſubmittunt, non exuunt? hinc quò minimè expectaueris; exacerbatur toruitas mitigata, & pro oſculis venena infiguntur: eadem in vino reperies, cuius blandimenta furori proxima ſunt: hinc conuitia, & ferrum, etiam in eiuſdem vteri & tori ſocium.

Potus incommoda.

Quò

Quò abiicimur homines? infrà belluas nos abiiciunt vina: bibunt illæ vt ſitim expleant, nec vltra ſitim potus: nos quo minùs ſitimus, plus ingerimus: & cùm vix binas amphoras ſtomachus capiat, ſex pluréſve non rarò cogitur admittere; ac integra demum dolia, quæ redeant, qua via venerant. Et quid mihi populorũ narras vina, vt cum illis ſingulorum mores furoréſque haurias; ac quidquid in vnaquaque gente indecorum, inuerecundũ & audax, bibas? vt habeas quod profundas in amicum, coniugem, parẽtem pœnitudine ſæpè æternâ? taceo reliqua. Monſtrum habeatur luxuria ſine vino cui ſemper ſubſtructa laſciuia eſt. Iam conſcientiam omnium conſulamus, ipſa natura enuntiabit, quales nos ante paſtum & potum, in virgine adhuc ſaliua eſſe conſueuerimus; ſi non multò pollentioris mentis, multò viuacioris cordis, quàm cùm totum domicilium interioris hominis vino natat, cùm ipſum tunc ſibi hominem excidere ſolemne ſit, occupatis memoriæ locis, impeditiſque ſapientiæ membris.

Digitized by Google

VITIVM. Quàm generoſum deinde, quantúque animi ſit, montes, valles, nemora, equorum vngulis laſſare, feras domare, retia fatigare, quis ignorat?

VIRTVS. Et quid magnum laſſare feras? animorum belluas fregiſſe, domuiſſe, efferámque horum rabiem emolliſſe, compedibus induiſſe, magnum. Et quid quæris ex omni venatu? ſudorem? raſtra & ligones certiùs dabunt: deroſa & diſſipata, & in ſuo ſanguine ſqualentia ferarum corpora? quæ hæc voluptas eſt, patientiſſimis oculis incubare cadaueribus deroſis, vt diſcas animum efferare, eadémque ab homine concupiſcere. *De venatu.*

VITIVM. Quid vis tandem omni iuuẽtutem voluptate exuere; nihílque illi ætati largiri, negare omnia? *De animorũ voluptate.*

VIRTVS. Animo compoſito nulla voluptas maior. Hic ille eſt, quem nulla ſpes, nullus metus, à recto bonóque deducant: quem non minæ, non tormenta, non præmia flectant: quem nullus carnifex, tyrannus, exilia, paupertas, ſecures frangant: quem nulla tiara, purpura, diademata, ſceptra dimoueant:

Digitized by Google

moueant: in perpetua hic voluptate eſt etiam in ignibus: non dico, non ſentiet, ſed contemnet; & interitus ibit in aduerſa,& inter illa ingredere, & metire hanc mentem: quò profundiùs ingreſſus fueris, hoc plus ſolidæ voluptatis reperies. Verùm vis concedere me iuuentuti voluptates aliquas: concedo æternas: cœlo repoſuit illas Deus: aut ſæculi huius volaticas, & ſpoliari æternis? vis his excludi,& inanibus & fallacibus paſci? aut non ſatis tibi gaudet, qui æternùm gaudet? Vis etiam in hac vita? animus Deo plenus non ſat amplam gaudiorum materiam poſſidet? imple hunc magno hoc Numine: quæ certior, quæ amœnior poſſeſſio? quæ delectabilior fruitio? aut altiora voueri certioráque poſſunt gaudia? ad hæc facilis iuuentuti via eſt. Scio hæc plùs patere introrſum, quàm extrinſecus ſplēdeant: at opulētiſſima ferè ſecretum amant; tegi volunt: nemo theſauros publicauit: clauſit: quóque plus de diuitiis habent, hoc plus recondit, & oculis ſubdicit.

VITIVM. Difficilis ad hæc aditus, ardua

ardua via, ſentibúſque ac ſaxis obſita.

Virtvs. Vide quid ſenſerit Philoſophus. *Non, vt à quibuſdam dictum eſt, arduum in virtutes ac aſperum iter eſt: plano adeuntur. Non vanæ vobis auctor rei venio: facilis eſt ad beatam vitam via: multò difficiliùs eſt facere iſta quæ facitis: quid enim quiete otioſius animi? quid ira laborioſius? quid clemẽtia remiſſius? quid credulitate negotioſius? vacat pudicitia; libido occupatiſſima eſt: omnium denique virtutum tutela facilior eſt: vitia magno coluntur.* Vt meritò dicere liceat, planam virtutum viam eſſe: & non Deus vltrò manum porrigit, & obtrudit dona? Ac licet vocarem per ardua, non mererētur ęterna fugitiuos labores? quanti olim in aſperitudine ſacci, cineris horrore: terræ iucubantes, lorica tecti, cincti catenis, panem cinere miſcentes, lachrymis potum, ſuſpirioſas duxerũt noctes oculorum imbribus perplutas? ita, cùm diem cinere, noctes metirētur fletibus, Deum cum Moſe inuenerunt cõtubernalem: nec vltrà illis lachrymæ, aut ſordes, non pectorum tunſiones; niſi quòd exinde amoris proſilierint lachrymæ: gaudia

Virtutis via plana.

gaudiales lachrymæ, quibus è nube ſua prolabentibus, plus intus natum gaudiorum eſt, quàm extra imbrium: felices lachrymæ gaudiorum matres, veriùs; felices lachrymæ gaudiorum ſoboles: his ego iuuentutem perplutã velim, vt voluptate diffluat, adeóque circumcirca circumſtagnari, vt gaudiis vndique natet.

VITIVM. At quid vetat hîc frui, & alibi gaudiis; terrarum, & cœli?

Aduerſari ſibi terrarum & cœli gaudia.

VIRTVS. Neſcis ſtare ſententiam magni Dei, aut hîc, aut in altera vita carendum gaudiis? delectus in manu omnium: peritura deligis? exuris æternis: æterna deligis? perituris renuntia. Lazarus te docebit, & infelix Epulo: vis Deum in Lazaro premiantem? non vis in Epulone ſæuientem? vitam moréſque illius imitare, huius fuge; & voluptatibus in hoc nuntium mitte, vt doneris in illo æternis: momentanea Epulonis ſi contempſeris, ſpondeo æterna: non ego; ſed Deus: imitare, & ſequere: errare non potes ductore Deo. Quòd ſi me non audias, conſule Epulonem: roga quid feciſſe vellet, quid denuntiatum fratribus: &

monen-

monentem ſequere: nemo certiùs cauenda imitãdáque denuntiabit, quàm qui in ſe infelicia mundi, deliciarum ac voluptatum experitur præmia: vide demum in hoc & Lazaro, quid ſequi, quid ſperare, quid metuere debeas, nec aliis ego monitoribus, aut magiſtro.

VITIVM. Verùm graue eſt, infrà maiorum nomina & diuitiarũ ſplendorem viuere.

VIRTVS. Viue dignus Deo patre, viue cœlo: nec graue erit in periculo denunciatæ per Epulonem æternitatis, victus & cultus caſtigationem Deo pręſtare: fecerunt plurimi, ætate, viribus, animis inferiores. Et quanta plerique perferunt? quibus animę ac corporis periculis, ac contumeliis etiam, enituntur in cauſſa votorum ſuorum? quę non atria nocturnis diurniſque ſalutationibus occupant, ad omnem occurſum maioris cuiúſque perſonę decreſcentes, idque totum ob paucorum ſæpè annorum, menſium, dierum, horarúmque non rarò fugitiuum gaudium? & nos in æternitatis periculo, toleranda fugiemus?

Ardua quæq; cogitanti cælũ ferenda.

mus? Intuere milites omnia videor dixiſſe cùm hos dico: ſudore, periculis, vulneribus, ſanguine plena ſunt omnia: nullę hîc delicię: ignorant illas arma, ferrum, nuda humus, obuius cibus, campus cubile, ſaxum puluillus, arena culcitra, cęlum tectum, ſtellæ candelę, hoſtilis metus: & nos dubitabimus pati pro ęternaturis, quod illi non dubitant pro perituris, & ſanguine plurimùm luendis?

Verâ nos æternitatem poſt hanc vitam manere.

VITIVM. Quis ęternitatem hanc denuntiauit terris? non in terrorem hęc lata?

VIRTVS. O ſi in terrorem tantùm! & ſanè nulli animę ſemel erogatę, inferos patere, ſatis Dominus argumento Lazari in Abrahę ſinu requieſcentis, & ingemiſcentis in ignibus Diuitis, ex perſona Abrahę ſanxit, vt nulla iam alia denuntiatio infernę diſpoſitionis expectanda ſit ſemel in Abraham ex perſona iudicis prolata ſententia, ęterna eſt. Tu vbi Laxari hîc mœrorem, ibi gaudia; Diuitíſque hîc gaudia, ibi mœrorem videris, delige quem ducem ſequaris. Et non meminiſti verborum Domini: *Diſcedite à me*

Mat. 25.

maledi

maledicti in ignem æternũ? & ibunt hi in ſuppliciũ æternum: iuſti autẽ in vitã æternã: atque hinc illud Marci ex Iſaia deſumptum: *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur*: & illud Pauli: *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius*: illud denique Daniëlis: *Qui dormierunt in terræ puluere euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper.* Addo his illud Eccleſiaſtici: *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Nec poteſt animam alio Deus, quàm pręmio donare æterno, pœna ęterna: cùm enim plurimùm in hac vita, non donentur pręmiis boni, non torqueantur pœnis mali; ſi iuſtus Deus eſt, pręmiandi aliquando boni, puniendi mali pro meritorum demeritorúmque ratione erunt. Nihil horum hîc factum, fiet ergo in altera vita: in qua cùm nullus meriti demeritive locus ſit, ſolius pręmiationis ac punitionis erit: quę cùm nullo fine terminabitur, nec pręmia,

Marc. 9.
Iſaia 66.
2. Theſ. 1.
Dan. 12.
Eccl. 18.

Digitized by Google

nec pœnę. Vt taceam ſcelera pœnas mereri ęternas in ęternũ Deum commiſſa, cuius dignatio ęterna, bonitas ęterna, iuſtitia ęterna, ęterna omnia: que cùm hîc deleta non fuerint, deleri in altera vita non poſſunt, quæ miſericordiam omnem excludit, ſolamque iuſtitiam agnoſcit, ſolam patitur.

Vitivm. Omnis hîc pagina Deo plena eſt: & quantos reperias qui aliud ſentiunt?

Sunt qui in fortunæ iam caſibus omnia ponant,
Et nullum credant mundum rectore moueri,
Natura voluente vices & lucis & anni:
Atque ideò intrepidè quæcumque altaria tangunt.

Viuunt intrepidè:nec quidquam ſubtractum eunt animę,non corpori: hîc illis felicitas ſumma,hîc cœlum: reliqua permittunt fortunę:eueniat quidquid illi ſolutiſſimę legibus, humanarum rerum dominę placitum fuerit:erim⁹ Camilli;ſin minùs,Dioniſij; ſi nec illi, Rutillij; ſin impatientes

moræ,

moræ, Pæti, Catones; & vt proiectiſſimi, Socrates, Reguli.

Virtvs. Nunquam ego hodie Cyrenæum, nũquam rediuiuum Diagoram audiri poſſe verebar, qui timorem omnem quo regimur, qui venerationem qua ſuſtentamur, vna falce præſcinderet: fierine poteſt, eò te prolapſum amentiæ, vt mundum rectore ſuo exuere conareris? an tu fortuitis concurſionibus ſummam rerum conſtitui, tanquam fruſtis temerè inter ſe coaleſcentibus, arbitraris poſſe? non vbi orbis ſingula luſtraueris, infera, ſupera, media; vides omnia loqui Numen vnum, quo natura omnis certâ lege inſpiretur, gubernetur? Cœlum intuere: vide vt in noctem aſtris exornetur, in diem ſole luſtretur, & ſcies quàm ſit in eo non fortuita, ſed certa quædam firmatáque magni alicuius Numinis lubratio: vide annum, menſes, dies, lunam ipſam; quàm paleſcentibus ac timentibus initiis auctior, plenóque iam cornu regia, dein ſenio quodam ſuo, ac repetita adoleſcentia circumagatur. Quæ omnia, cùm nec intelligi ſine ſumma ratione poſſint,

Deũ eſſe rationibus probatur.

poſſint, vis ſine ea poſſe euenire, certáque nunquam moriente viciſſitudine perſiſtere? vis ſine auctore, ſine parente, tot teſtata ſæculis curſum ſuum tenere? quid? inoffenſa hæc velocitas fortuiti impetus erit? non procedet ab imperio legis æternæ? tantùm clariſſimorum luminum ex ordine lucentium, materiæ aſcribemus errãti? terram ipſam pendulam & immotam, & in orbem properantis cœli, ſiderúmque fugam ſpectantem, fortuitâ dicemus pendere manu? imò & quę ſine ordine arbitramur properantia, nubes, pluuiæ, eliſorum fulminum ictus, incendia montibus effuſa, terręmotus labantis ſoli, quamuis ſubita, ſine ratione arbitraris prouenire? Audiamus Senecam: *Superuacuum eſt oſtendere, non ſine aliquo cuſtode tantùm opus ſtare, nec hunc ſiderum certum diſcurſum fortuiti impetus eſſe, & quæ caſus incitat ſæpè turbari, & citò arietare: hanc inoffenſam velocitatem procedere æternæ legis imperio: non eſſe materiæ errantis hunc ordinem: non quæ temerè coierunt, tanta arte pendere.* *Iam verò ſi quis obſeruauerit nudari*

litterą

littora pelago in ſe recedente, eademq́; intra exiguum tempus operiri, credet cæca quadam veneratione modò cõtrahi vndas, & introrſum agi, modò erumpere, & magno curſu repetere ſede ſuas: cũ illæ interim portionibus creſcunt, & ad horam ac diem ſubeunt, ampliores minoreſq́; , proue illas lunare ſidus elicuit, ad cuius arbitrium oceanus exundat. Addo Epictetum: *Ciuitas aut domus, ne momento quidem aut puncto temporis, conſiſtere ſine procuratione & gubernatione poteſt, & hic tanta amplitudine & magnitudine præditus mundus, temerè ac fortuitò, nulloq́; ordine adminiſtrari poterit? eſt ergo aliquis ipſius gubernator.*

Quòd ſi maria cogites, vt infuſa vallibus molliant terras, vt nulla fluminum incrementa ſentiant, vt nudatis littoribus in ſe recedant, eadémque paucis intercurrentibus horis operiant? credes cęca quadam volutatione, vndas tam certò modò introrſum agere, modò emittere? eaſdemque ſtatis horis ac diebus, pro imperio lunaris ſideris, ad cuius arbitrium exundant, creſcere ac decreſcere?

Iam vniuerſi totius ordóque tempo-

rum, quid aliud loquuntur præter magnam mentem rectricem? aut tu arbitraris, ver floribus, æſtatem meſſibus, autumnum vinetis, hiemen ſepeliendo vt viuat ſemini, fruſtra niues glaciémque præbere? Nec vniuerſitas tantùm tota, ſed & ſingulæ partes Deum loquũtur. Vide vt ſingulis anteprouida ſua notione proſpexerit. Ægypti ſiccitatem temperat amnis, Indus Orientem rigat. Veniamus ad plebeia, ollam cogita, mapalia: an non tibi ſtatim occurit figulus, & fabricator operis? ciuitas, domus, caſa, ſine gubernatore ruant, & hæc tam ingens fabrica temerè adminiſtrabitur? flecte oculos ad cælum, credes ſidera ſine parente ſtare? inſpice dein, qua patet, orbem, quot miracula, quot in inæquali curſu, æquabiles viciſſitudines reperies? & in tanta varietate tam certus ordo ſine ratione ſtabit? & non anni per veſtigia recurrentes, tenebrarúmque & luminis recurſantes vices, Numen aliquod teſtantur præſtantiſſimæ mẽtis, à quo in tanta varietate tã certus ordo? quid? quòd in minimis ea portenta ſint, vt ſine magno Numine ſta-

re non poſſint.

VITIVM. Quæ ſunt illa minima portentoſa Numine plena, & quę magnum aliquem factorem teſtantur?

VIRTVS. Mira omnino quæſtio, & quid vſquam eſt, quod non clarè factorem ſuum loquatur? incipiamus à minimis. Bombyx papilio eſt, mox frigorum impatientia inhorreſcit villis, & aduerſum hiemem tunicas ſibi inſtaurat, pedum aſperitate radens foliorum lanugines in vellera, quæ exinde vnguium carminatione ſubigit, ac mox inter ramos tanquam pectine trahit, ac corpori demum inuoluit.

Deum eſſe è rebus minimis creatis colligitur.

Vide araneam lanifera intus ſemper fertilitate grauidam, tanquam ſemper parturientem, quàm moderato vngue, quàm tenui filo, quàm æquabili deducit ſtamina: quantâ ſiue in tutelam, ſiue in bella & hoſtem propugnacula nectit prudentiâ.

Intuere apes, interdiu illis ſtatio ad portas more caſtrorum, noctu quies in matutinum, donec vna excitet gemino aut triplici bombo; tunc vniuerſæ prouolant, ſi benignum nactæ diem fuerint (prædiuinant enim venteſque

Digitized by Google

imbréſque;) qui votis non reſponderit, continent ſe tectis. Rege verò mortuo, mœret plebs ignauo dolore, nec cibos conuehit, triſtíque tantùm murmure glomerantur circa corpus, ſubtrahitur ergo multitudini, ne fame pereant.

Iam in concha quanta varietas? quot colorũ differentiæ? quot formarum? videbis planas, concauas, longas, in orbem circumactas, dimidio orbe tectas, in dorſum elatas, rugatas, denticulatas, ſtriatas, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris affuſo, intus replicato, quaſdam virgulatas, crinitas, criſpas, pectinatim diuiſas, imbricatim vndatas, cancellatim reticulatas, in obliquum, in rectum expanſas, porrectas, ſinuatas, milléque modis aliis variegatas. Illud in his etiam magnum, quòd de ſaginę qualitate reddant habitudinem vnionum, quoties enim excipiunt matutini aëris ſemen, candicant orbiculi; & fit clarius margaritum, ſi purum fuerit quod hauriunt; quoties veſperi, fit obſcurius, & pallore ſuo languet, aut rufo innubilatur: ita magis de cœ-

lo,

lo, quàm de mari partus habent. Si repentè micuerit coruſcatio, intempeſtiuo metu comprimuntur, clauſæque ſubita formidine vitia contrahunt abortiua.

Luſciniam verò quis non admiretur? nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto: interdum ſecum murmurat: exurgit deinde voce plena, graui, acuta, celeri, tremula: breuiter, quidquid vbique muſicum, ore, fidibus, in digitali habes corpuſculo: & quiſquã fortuitam hanc varietatem arbitrabitur? Reliquas aues non tango: vincor propè in ſingulis miraculo: hoc mirum, quaſdam terras certi generis aues non admittere. Noctua ſi Cretam viderit, moritur. In Fidenate agro ciconiæ nec pullos, nec nidum faciunt. Perdices non tranſuolant Bœotiæ fines in Attica. Rhodus aquilam ignorat, Picum Tarentinus ager.

Luſtremus omnium matrem terram, quàm benigna in omnes: quanto quæ accepit, fœnore reddat, & ſponte etiã fundat, quantáque fœcunditate

medicas protrudat herbas. Quid? quòd eadem alibi aurum, argentum, electrum, æs, plumbum, ferrum largiatur? alibi gemmas, digitorum, frontiū, aurium, mulierúmque naufragia. Murrhina & cryſtallina ex eadem effodiuntur, quibus pretium facit ipſa fragilitas, aliis raritas & inopia, peregrinitas aliis; quibuſdam non niſi à periculo pretium. Semper benigna, mitis, indulgens, ancilla ſemper, & ſēper mater, dum ſemper homini parturit. Nec ſtantes tantùm, ſed & natantes videbis terras. Fluctuant ſanè in agro Cæcubo, Reatino, Mutienſi, Statonienſi, Audomariſi. Mela tradit, lucum, ac in eo grande templum natare; in quo pyramides tres, quarum maximam quatuor ferè ſoli iugera in latitudinem altitudinémque occupare, quæ omnia quocunque venti agunt, pelluntur. Quid? quòd ad Cutilias aquas, opaca ſilua, nunquam die ac nocte eodem loco viſatur? quædam etiam in ingreſſu tremant, in Gabienſi agro, Reatino, Campano Brabantiæ parte? Vide quanto deinde diſcrimine ludat in arboribus: habes ſimplices,

plices, quibus à radice caudex vnus, rami frequentes, vt oliua & vitis: quędam fruticoſi ſunt generis, vt myrtus & auellana nux, quædam bifurcę, quędã diuiduæ, indiuiduæ aliæ: quibuſdam ramorum ordo, aliis inconditus: quædã etiam à radice brachiatæ, quędã nonniſi à cacumine ramoſæ: quędam non florent: ilex enim, picea, larix, pinus nullo flore exhilarantur: folia non decidunt oleę, lauro, palmę, myrto, cupreſſo, pinis, hederę, rhododendro; non pinaſtro, iunipero, cedro, terebintho, ilici, taxo, aquifolio: latiſſima deinde folia viti, fico, platano; anguſta myrto, punicę, oleæ; capillata pino, cedro; aculeata ilicum generi, carnoſa cupreſſo, longa ſalici, cincinnata piro, anguloſa hederæ, diuiſa platano, inſecta abieti, ſinuoſa robori, ſpinoſa cute rubo, mordacia vrticis, pungentia pino. Arborũ etiã quędã gaudent montibus, abies, caſtanea, fraxinus; quædã vallibus, prunus, oleaſter, iuglans, morus, ſambucus; aquis ſalices, populi, ſiler: has oderunt cupreſſi, caſtaneæ, iuglandes. Fructus etiam arborum quàm varij? quibuſdam

intus lignum, extrà caro, vt oliuis, prunis, perſicis, ceraſis: aliis intus corpus, foris lignum, vt nucibus: corio clauduntur caſtaneę, putamine nuces: cruſta teguntur glandes, cute vuæ, membrana punicà, carne & ſucco mora, cute & ſucco ceraſa. In floribus non minor varietas, quidam bulbo commendantur, quidam capite, alij caule, folio alij, alij vtroque, non pauci ſemine; quidam cortice, cute, cartilagine, carne, colorum varietate, nitore, odore: atque hinc in ęmulam elegantiam hortos videbis ludentes, laſciuientes in vario fœcunditatis ſuę gaudio. Hoc tamen ferè in his vſu venit, vt qui ſpectatiſſimè florent, celerrimè marceſcant.

In vitibus magnus omnino naturę ludus: hîc ſaxis incoquuntur vina, ibi paludibus etiam innatant, valles nonnullæ depoſcunt, montes aliæ: ac non niſi montibus ſudant: inuenies biferas, triferas etiam, in quibus vuę matureſcunt, turgeſcunt, florent: ac in quibuſdam prouinciis ſtant vites ſine vllo pedamento, alibi herbarum more vagantur per arua, in Campano agro populis

Digitized by Google

populis nubunt, ſudibus alibi maritantur, colore vndique vario: hîc purpureo lucent, ibi luteo: illic fulgent roſeo, viridi alibi delectant, miſcentur deinde colorũ genera & tument quædam mammarum more, prælongis aliç porriguntur acinis, durant exhinc aliç per hiemem penſili concameratæ nodo, aliç fictilibus ollis & doliis includuntur ſucço ſuo contentç, conduntur & muſto, vinóque ſuo inebriantur.

Diſcrimina deinde in his omnibus producendis aut repellendis agrorum quis enarrabit: quis fœcunditatem, ſterilitatem, quis reliqua? In Byzacio Africç, centena quinquagena fruge fertilem campũ tradunt, nullis cùm ſiccus eſt arabilem tauris, poſt imbres vili aſello, vomeré tandem femina trahit. In Chalcia Rhodiorum inſula, locum adeò fœcundum, vt ſatum tempore ſuo demetant hordeum, ſublatúmque ſerant, & cum aliis frugibus metant. Quid de Hollandiç paſcuis dicam? ſunt qui aſſerant, tantum annuè lactis fundere, quantum Gallia tota vini. Certè in Flandriæ

agro quinos non rarò ouis vna alit vbere fœtus.

De rupibus terra enatis quid dicã? tangam in tanta varietate pauca. Iuxta flumen Indum alteram rupium ferrum omne tenere, alteram reſpuere volunt, ingentem etiam in Aſia rupẽ vno digito mobilem, totius verò corporis impulſu immobilem narrant, ſed & circa Aſſon Troadis lapides enaſci, qui quæcunque corpora conſumant leui attactu.

Aquarum & fontium miracula quis enarret? Gangis fontem qui incolunt, nullius ad eſcam opis indigos referunt, odoreque viuere ſilueſtrium pomorum, vt olfactu alantur: quod ſi tetriorem ſpiritum hauſerint, exanimari. Portentoſa omnino Dabris fontis natura in oppido Garamanto, decies alternis vicibus die friget, nocte feruet; ac per eadem venarum commercia ignito interdũ vapore æſtuat, glaciali interdum algore horreſcit; incredibili memoratu, vt tam breui ſpatio tam diſſonam ſui natura faciat varietatẽ. Illud certè nouum, quòd hæ aquæ contra ſiderum diſciplinam

vertant.

vertant vices, nam cùm mundum à calore veſper tẽperat, ita incaleſcunt, vt noxium ſit contigiſſe; rurſus cùm exortu ſolis feruefacta ſunt omnia, ſic glaciales euomit ſcaturigines, vt hauriri à ſitientibus non poſſit. In Illyriis expanſæ ſuper frigidum fontem veſtes, accenduntur. In Dodone verò fons gelidus immerſas extinguit faces: extinctas, ſi admoueris, accendit. In Faliſco verò aqua pota candidos boues facit, in Bœotia amnis Melas oues nigras, Cephiſus albas, Xanthus rufas. In Larinenſi agro duo fontes mutuò iuxtà fluũnt, alter omnia reſpuens, alter abſorbens omnia. Quibuſdam etiam locis iniectum lignum lapideo cortice obducitur, alibi folia lapideſcunt. In Agrigentino lacu oleum ſupernatat: hoc pingue inhæret arundinum comis de aſſiduo volutabro, è quarum capillamentis legitur vnguentum medicum contra armentarios morbos. Vetat abortum in muliere Linus Arcadiæ fons, Pyrrhea flumen ſterilitatem inducit, fœcunditatem Sinueſſanæ aquæ, quę & virorum inſaniam pellunt. Vulneribus

autem Albula medetur, vitiligines Alphiron lacus tollit. Eburonum ager fontes habet ferruginei ſaporis: purgant hi in quibuſdam corpora, ſiſtunt in aliis, calculorum vitia emendant, pluribuſque morborũ generibus medentur. In Bœotia verò fontes duo, quorum alter memoriam, obliuionem adfert alter, In fortunatis verò inſulis duorũ maximè fontiũ miranda narrant, alterum qui guſtauere, riſu ſoluuntur in mortem; ita affectis vnum remedium, ex altero bibere. Quin & auri ramenta deuehunt flumina, Tagus Hiſpaniæ, Italię Padus, Hebrus Thracię, Pactolus Aſię, Gãges Indię: nec vllũ abſolutius aurũ, curſu ipſo tritúque politum. Hæc tanta miracula aquarum, quid niſi magnitudinem factoris ſui loquuntur?

De mari verò quid dicam; ſuperant illius prodigia omnem calamum: vide quomodo illi è cælo diſciplina, cùm commoueatur lunæ curſibus, adeò vt huius viciſſitudines ſtudiosè ſequatur, nunc auctus & robora, nunc illius defectiones & deliquia: atque hinc illi macies aut plenitudo: neque

eodem

eodem ſemper modo curſum ſuum tenet; ſed prout illa aut mergitur aut ſurgit, tenuatur aut corporatur, variat illud alternantes ſuos curſus.

De piſcibus taceo: integra mihi, ſi tango, volumina exurgant: in vno delphino quanta? Non taceo tamen remoram ſemipedalem piſcem inhibere poſſe & ſtare cogere ingentes naues ære ferróque roſtratas, ſæuiant licet fluctus ventìque, fluctibus omnibus ventíſque quaqua parte ſæuientibus potentior.

De quadrupedibus nihil dico: creſcat in immenſum oratio: vnum tantùm conſidera in re non magna; quàm mirè natura laſciuiat in quorundam cornibus: ſpargit hæc in ramos vt ſeruorum, ſimplicia aliis tribuit, aliorum finxit in palmas, ramoſa capreis, in anfractum conuoluta arieti dedit, infeſta tauris, rupicapris in dorſum adunca, damis in aduerſum, aliis erecta, rugarúmque ambitu contorta, in tenue aliis faſtigium exacuta, aliis ſingula & in media fronte aut naribus; aliis etiam ad incurſum robuſta, aliis ad ictum; adunca aliis, aliis redunca,

ca, plurimis denique ſupina.

Hoc etiam non indignum calamo, eſſe inter beſtias inimicitiarũ & concordiæ miracula. Mugil & lupus mutuo odio flagrant, congrus etiam & murena, polypus & locuſta, ichneumon & crocodilus: amicitiam teſtantur balena & muſculus.

De ventis altum mihi ſilentium, quis ex abdito theſauros hos mihi recludet? caligant hîc omnium ingenia, & vinci ſe fateantur neceſſum eſt: quare nec attingo: hoc tantùm docemur experientia, humidum ferè Africum eſſe, ſiccum Corum & vulturium, niualem Aquilonem; æſtuoſum Auſtrum, tepidum Fauonium; & noctu Auſtrum, interdiu Aquilonem vehementiorem, illum etiam in maiores fluctus exurgere.

Hæc tanta, tam varia, tam certa, eundémque ſemper curſum tenentia, an fortuitis euenire caſibus, cæcíſque volutationibus, ac in incertum ruentibus putas poſſe? aut nulla hæc ratio, mens nulla, ad certos propoſitóſque ſibi fines formet, dirigat, tueatur, & in nepotes ire cogat; ſed è fortuitis

cauſſis,

cauſſis,fors hinc,fors indè ruentibus, fortuiti hi euētus naſcantur? In quem integri capitis fortuitæ hæ connexiones cadere poſſunt? Fors crederes, ſi cum Romanis olim, Febrim, Orbonam,Malam fortunam; ſi atricolores, aligeros, claudos, ouo editos,alternis viuentes; Deorum etiam adulteria, iurgia, odia, furta narrarem, omniúmque gentium Deos,etiam boues & crocodilos, feles, ſerpentes: ô vbi pudor!

VITIVM. Magna in paruis narraſſe te miracula non nego, quibus magni alicuius Numinis aſtruere magnitudinem conaris: at tu mihi negare non potes, magnos omni ſæculo, quidquid hîc paruum magnúmque eſt, rerum dominæ fortunæ tribuiſſe. Et vt tibi clarè mentem meam aperiam: fabulæ quidquid hîc terrorum, quidquid ſpei poſtmodũ bonæ: Viuimus mortales quamdiu fata ſinunt, quãdiu cuiuſque fortuna bona,quamdiu mala patitur; nec vltrà.

De fato quid ſit.

VIRTVS. De fato, rides, an vera cenſes? quid,rogo te,eſt Fatum? Deus? homo? monſtrum? vbi illi ſedes? an per

voiuer-

vniuerſi latitudinem diſpergitur? mas eſt, femina, neutrum? aut an aliud eſt Fatum, quàm quòd Deus de vnoquoque noſtrûm ante prouidâ ſuâ ſcientiâ, pro cuiuſque meritis, fatus eſt, in illa immenſitatis ſuæ prænotione? Quòd ſi Fatum velis immotas quaſdam cauſſas, quas declinare nemo poſſit, ob inexpugnabilem inter ſe earundem connexionem; adeò, vt quod obuenturum ſingulis boni malíve, nulla liberę voluntatis, in hanc illámve ſe partem inclinantis habitâ ratione, certum firmatúmque ſit; fruſtrà Iudices, pœnæ, leges: cùm enim fatalia illa decreta inuertere nulli liceat, hæc verò non pendeant à voluntatis, in hæc potiùs, quàm in illa ſe flectentis libertate; quid cauſſæ erit, cur peculatores, legum inuerſores, morte damnentur, ſi ad illa ineuitabili fatorum lege trahebantur? ſi propulſare hæc à ſe mala fatorum placitis prohibebantur? ſi eorundem ineluctabili ad hæc neceſſitate adigebantur?

Iam quid noſtrûm quiſque animum format, vitam componit, actiones fabricat? quid ſe, quid ſuos monet? quid

per

per ancipitia fluctuantium, curſum dirigit? quid inclamat pereunti, Caue; ferrum hîc, hoſtes, inſidiæ, venena latent; ſi mutari certa non poſſunt, nec parari quidquam aduerſum incerta? ſi conſilium meum fata occuparunt, decreuerúntque quid vellem, quid facerem? aut delectui meo nihil permittunt? Quid parens filium erudit, monétque ad regulam praua corrigat, ſi inexorabili omnia lege fata conſtringunt? Et audiam ego hodie aliquid ex te: quis prohibebit, quò minùs annuam veris, abnuam falſis? Fata, quis me, ſi obicceris pecuniam, dignitates, feminam, verborum cōtumelias, mortem, amare coget aut odiſſe? audi Philoſophum, de voluntate illi verba. *Proinde peculiaris hæc noſtri pars, quam nobis contribuit Deus artifex: quàm ſi euellens à nobis, hac natura efficeret, vt vel ab ipſo, vel ab alio quopiam cogi poſſet aut impediri, profectò pro Deo non eſſet habendus, nec ſanè eo quo æquum erat modo nos curaret.* Verecundam verò mentem, fidelem, gratam quæ mihi fata dabunt? quæ tollent? ex hac poſſeſſione quis me eiiciet? audi eundem:

Ne

Ne Iupiter quidem: mihi id conceſſit quod ipſe habebat, quod prohibere, quod impelli non poſſet.

VITIVM. Quid ergo? ſi fatum nullum eſt, an tu Deũ putas aliquem proſpectare è ſumma ſpecula gubertorem, ac moderatorẽ ſublunariũ rerum harum? Non bene veterum vnus?

Ego Deûm genus eſſe ſemper dixi, & dicam cælitum:
Sed eos non curare opinor, quid agat hominum genus.

Prouidẽtia diuina aſſertio.

VIRTVS. De diuina prouidentia, quàm tollis, quid dicã? amate vos Sodomæ ſtupra: adulteria, inceſtus pilæ ſint: cædes, venena, furta, latrocinia tutò orbem inambulent: quid enim ſi nullus proſpector Deus nullus numerator, iudex nullus? aut ſi ille ipſe ſolitarius, deſtitutus, cælo ſuo captiuꝰ, in nullius mores, vitam, facta, verba, cogitationes diſquirat? ſcilicet ne curioſior videatur, ne vniuerſis occupatus, ſingulis ſufficere non poſſit.

Vide ſolem, & ille quidem cælo affixus terris omnibus ſparſus eſt, miſcetúrque omnibus: quo magis magnum illud Numen fabricator Solis

&

& vniuerſi huius, præſens vbique miſcetur omnibus, nulla ſui claritate vitiata: ſed & cogitationibus intereſt, & abditiſſima mentis noſtræ tenebricoſa ſpecula: radiis ſuis luſtrat.

Agnouit hoc Epictetus, *Deus eſt prouidens omnia, & quem latere non poſſis, non modò ſi facias aliquid, ſed etiam ſi cogites, aut in animum inducas:* non credas hic Paulum loqui? Agnouit etiam Seneca Stoïcus, *Deus ipſe humano generi miniſtrat, vbique & omnibus praſtò eſt:* addit, *Primus eſt Deorum cultus Deos credere: deinde, reddere illis maieſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla Majeſtas eſt. Scire illos eſſe qui præſident mundo, qui vniuerſa vi ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. Nota eſt illis operis ſui ſeries: omnium illis rerum, per manus ſuas iturarum ſcientia in aperto ſemper eſt: nobis ex abdito ſubit, & quæ repentina putamus, illis præuiſa veniunt ac familiaria:* & alibi, *Propè eſt,* ait, *à te Deus: tecum eſt, intus eſt. Ita dico: ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumq́ noſtrorũ obſeruator & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine Deo nemo eſt: an*

poteſt

poteſt aliquis, ſupra fortunam: niſi ab illo adiutus, exurgere? ille dat conſilia magnifica & erecta. In vnoquoque bonorũ virorum habitat Deus. Non tibi hæc ex medio Euangelio videntur petita, ac ex ſublimi magni Ioannis calamo? addit: credas ab illius pectore ſuxiſſe, qui à Domini pectore hauſerat. *Deus ad nos venit: quòd propiùs eſt, in homines venit: nulla ſine Deo mens bona eſt: ſemina in corporibus humani diuina diſperſa ſunt: quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeũt, & paria his, ex quibus orta ſunt, ſurgunt: ſi malus, non aliter quàm humus ſterilis & paluſtris, necat.* Potui propiùs ad Ioannem accedere, & arbitrij noſtri in nullam partẽ coacti libertatem clariùs aſſerere? Vis deinde in Philoſopho Theologum audire? *Exemplaria rerum omnium Deus intra ſe habet, numeróſque vniuerſorum quæ agenda ſunt & modos mente cẽplexus eſt: plenus his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Vis illum fatum vocare? non errabis: hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſſa cauſſarum. Vis illum prouidẽtiam dicere? rectè dices: eſt enim cuius conſilio huic mundo prouidetur,*

Digitized by Google

detur, vt inconcuſſus eat, & actus ſuos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis: eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cuius ſpiritu viuimus. Vis illum mundum vocare? non falleris: ipſe enim eſt totum quod vides, totus ſuis partibus inditus, & ſuſtinens vi ſua? Non arbitreris hunc diſcipulum fuiſſe Auguſtini, aut magiſtrum, aut ex Aquinatis ſchola venire, aut hunc ex illius?

Ad hunc quæ preces fundendæ ſint, vis ſcire? accipe ab eodem. *Audacter Deum roga, nihil illum de alieno rogaturus:) addunt ex Athenodoro: tunc ſcito te eſſe omnibus cupiditatibus ſolutum, cùm eò perueneris, vt nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palàm.)* Subdit: *Nunc enim quanta dementia eſt hominum? turpiſſima vota Deo inſuſurrant: ſi quis admouerit aurẽ, conticeſcunt: & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc præcipi ſalubriter poſſit. Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: ſic loquere cum Deo, tãquam homines audiant.* Quò preces ſi prouidẽtia nulla eſt, & ignarus rerum noſtrarũ viuit Deus? Obiicit hîc ſibi Philoſophus & reſpondet. *Scio quid hoc loco reſpondeatur, non dat*

Deus

Deus beneficia, ſed ſecurus, & negligens noſtri, nihil agit, nec magis illũ beneficia quam iniuriæ tangunt. Hoc qui dicit, non exaudit precantium voces, & vndique ſublatis in cœlum manibus vota facientium, priuata ac publica: quod profectò nõ fieret: nec in hunc furorem omnes mortales conſenſiſſent, alloquendi ſurda numina, & inefficaces Deos, niſi noſſent illorum beneficia nunc vltro oblata, nunc orãtibus data, magna, tempeſtiua, ingentes minas interuẽtu ſuo ſoluẽtia. Quis eſt autẽ tam miſer, tam neglectus, quis tam duro fato, & in pœnã genitus, vt non tantã Deorum munificentiam ſenſerit? Ipſos illos cõplorantes ſortem ſuam, & querulos circumſpice, inuenies nõ ex toto beneficiorum cœleſtium expertes: neminem eſſe, ad quem non aliquid ex illo benigniſſimo fõte manauerit. Neq; neceſſitatibus tãtummodo noſtris prouiſum eſt: vſque in delicias amamur. Tot arbuſta, tot non vno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varietates ciborũ, per totũ annum digeſta, vt inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Iam animalia omnis generis, alia in ſicco ſolidoq́; alia in humido innaſcẽtia, alia per ſublime dimiſſa: vt omnis rerum naturæ pars tributũ aliquod

quod

quod nobis cōferret. Flumina hæc amœniſſima, flexibus cāpos cingētia, illa præbitura cōmerciis viā, vaſto & nauigabili curſu vadentia, è quibus quædā ſtatis diebus incremētum trahant, vt anhela, vt feruenti ſubiecta cælo loca ſubita vis æſtiui torrentis irriget: quid medicatorū torrentiū venæ? quid in ipſis littoribus aquarum calentium exundatio? Nónne, ſi gratus es, dices, Deus nobis hæc otia fecit: namque erit ille mihi ſemper Deus. Ille Deus eſt, non qui paucas boues, ſed qui per totum orbem armenta dimiſit, qui gregibus vbique paſſim vagantibus pabulum præſtat, qui paſcua hibernis æſtiua ſubſtituit, qui non calamo tantùm cantare, & agreſte atque inconditū carmen ad aliquam tantùm oblectationē modulari docuit: ſed tot artes, tot vocum varietates, tot ſonos, alios ſpiritu noſtro, alios externo, cātus edituros, commentus eſt: neque enim noſtra iſta, quæ inuenimus, dixeris: non magis, quàm quòd creſcimus, quàm quòd ad conſtitutum temporum ſua corpori officia reſpondent.

VITIVM. Quid tu mihi diuinam prouidentiam? nō ferè per egeſtatem, contumelias, ignomiam, adeóque per ignes & per gladios, ſerras, ſecures, ro-

tas,

tas, vncos, forcipes, crucem, equuleos, flagra, lapides, & malorum vltima deſæuiri in optimos quoſque videmus? Iob mihi teſtis & Tobias, & illi qui *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.*

Heb. 11.

Deũ ſuos aduerſis probare.

VIRTVS. Fateor deſæuire hîc in ſuos Deũ: ſed in ſalutem. Non & medicina de ſcalpello & cauterio, de ſinapis incendio, de nouacula, ferro, ignibus, ſecat, inurit, extendit, mordet: nec tamen quiſque medicinam damnat: laudat & mercede cumulat. Et quis luctator agonis ſui præſidẽ ſugillauit? pugni, liuores, vibices, cruores, gemebundæ inter cæſtus genæ, dẽtium fragmina, coronas negotiantur & gloriã, imagines & ſtatuas, & quandam de memoria reſurrectionem. Quære an doleat pugil noſter; negabit: oſtẽta vulnera; æternitatis palma tegit: ſanguinẽ; corona ſiſtit cælo repoſita: & plus ſemper de victoria gaudij, quã de iniuria mœroris

teperies. Et quis hunc mœrentem arbitrabitur quem videt lætum, & plus gaudij effundentem quàm ſanguinis? Quid? non vos ipſi athletas veſtros ſegregatis ad ſtrictiorem diſciplinam vt robori ædificando vacent? non continetis à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore? cruciatis, fatigatis, vt quo plus laborauerint, hoc ampliùs de victoria ſperent? Iam illę veſtræ laudes in Empedoclem deſilientem in ignes, in Peregrinum rogo ſe inuoluentem, in Aſdrubalis vxorem cum filiis in patriæ incendium deuolantem, in Cleopatram aſpides ſibi immittentem, in Catonem ferro libertatem vindicantem, in Athenienſem meretricem demorſa lingua tyrannum conſpuentem in Philoſophũ è mortario ridentem, quid loquuntur? Claudo è magno Tertulliano: *Si tantum terrena gloria licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, beſtias, tormẽta contẽnant, ſub præmio laudis humanæ: poſſum dicere, Modicæ ſunt iſtæ paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis, & diuinæ mercedis, tanti vitrũ? quanti margaritum? quis ergo non libentiſſimè*

tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo? Et audire hîc vnum è veſtris lubet inter tormenta & ignes admirabundum, & Diis ſe æquantem, & cælo immittentem.

Herculis in tormentis ingens animi robur.

Rogat ecce iam me genitor, & pandit polos.
Venio pater, vultuſq́ʒ non idem fuit:
Tremente pinum dextera ardentem impuli:
Refugit ignis, & reluctantur faces,
Et membra vitant: ſed recedentem Hercules
Inſequitur ignem. Caucaſum, aut Pindum, aut Athon
Ardere credas, nullus erumpit ſonus.
Tantùm ingemiſcit ignis ad durũ iecur.
Typhon in illo poſitus immanis rogo
Gemuiſſet ipſe, quiq́ʒ conuulſam ſolo
Impoſuit humeris Oſſan Enceladus ferox.
At ille medias inter exurgens faces
Semiuſtus ac laniatus, intrepidus, rubẽs;
Nunc, ô parens Herculea, ſic ſtare ad rogum
Te mater, inquit, ſic decet flere Herculẽ.
Inter vapores poſitus & flãma minas,
Immotus, inconcuſſus, in neutrum latus

Correpta

Correpta flectens membra, adhortatur, monet.
Gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit
Animum miniſtris: vrere ardentem putes.
Stupet omne vulgus, vix habent flammæ fidem.
Tam placida frons eſt, tanta maieſtas viro.
Nec properat vri eumq; iam forti datum
Leto ſatis penſauit, igniferas trabes
Hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat,
Totaſq; in ignem vertit, & qua plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet, aſt illi graues
Luxere barbæ, cúmque iam vultum minax
Appeteret ignis, lamberent flammæ caput
Non preſſit oculos. Subiungit,
De tuis totus rogis
Contendat orbis, reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quæ templa, quæ gentes colent?
Quę tibi ſepulcra nate, quis tumulus ſat eſt:
Hic totus orbis, fama erit tumulus tibi.

Sed & audiamus Herculem ſuorum

detergentem lacrymas:

Quid me tenentem regna ſiderei poli:
Cæloq́; tandem redditum, planctu iubes
Sentire fatum? parce, nam virtus mihi
In aſtra, & ipſos fecit ad ſuperos iter.

Audiamus poëtam animantem, ad ardua impellentem, inhortantem:

Nunquam Stygias fertur ad vmbras
Inclyta virtus, viuite fortes:
Nec Lethaeos ſaua per amnes
Vos fata trahent: ſed cùm ſummas
Exiget horas conſumpta dies,
Iter ad ſuperos gloria pandet.

Non putas hunc ſenſiſſe, beatum & felicem Herculem inter tormenta & flammas fuiſſe, & mille modis Sardanapolo feliciorem? imò inter maiora in ignibus gaudia, quàm illum inter ſaltantium choros, inter pridianas menſas, ad quas meritò nouus ſol erubeſceret?

Per ardua ad æternam felicitatem ſuos Deũ deducere. per cruciatus & ſanguinẽ.

Neque negare interim poſſum, per ardua ad æternatura gaudia deducere ſuos Deum, ita à primordio Abelus cadit, & quidem à fratre, Ieremias lapidatur, Helias fugatur, Eſaias ſecatur, Zacharias perennes cruoris ſui maculas ſilicibus aſſignat, Ioannes in

puellæ

puellæ ſaltricæ lucar barbara conuiuandi cæde trucidatur; coronanda nimirum lupanaria impij Regis conuiuia ſanguine & capite erant. Et vt tangam recentiora, quis Tribunorum elogia, Prętorum edicta, Proconſulum tribunalia, Regum auditoria, Cæſarũ ignorare nomina poteſt; qui Petrum cruci ſuffigi, Stephanum opprimi, Iacobum immolari & Paulum, Laurentium torreri, Sixtum ſecuri ſubiici, Ignatium obiici leonibus, Polycarpum flammis, prunis ardentibus Tiburtium, gladio Barbaram, balneo Cęciliam, Vrſulam telis, tauro Pelagiam, flammis Flauiám, vncis Eulaliã, pectinibus Febroniam, rotis Euphemiam, tedis Serapiam, feris Maximam, oleo Eulampiam, Chriſtiniam fornacibus, Firminam lampadibus, Agnetá & Luciam ignibus, Suſannam ſecuribus, ſectionibus Agatham, Catharinã flagris mandarunt. Neque ignoro orientem fidem Herodem Hieroſolymis, Neronem Romæ crúentaſſe, tunc Petrus ab altero cingitur cùm cruci aſtringitur: tunc Paulus ciuitatis Romanæ conſequitur prærogatiuam, &

Romæ naſcitur, cùm martyrij Romæ renaſcitur generoſitate.

De magno verò Iobo quid dicis? an magnum illum arbitraris, cùm tria numeraret camelorum millia, quingenta boum iuga, aſinas quingentas, ouium ſeptem millia; an, cùm abacti greges, pecorúmque diuitiæ, filiíque vno ruinæ impetu adempti, non colorem mutarunt, non frontem verterunt, non ſupercilia, non oculos deiecerunt? cùm vxorem deinde malis delaſſatam, & ad praua impellentem, execraretur, cúmque immundam vlceris redundantiam magna æquitate diſtringeret ſolo ſterquilinio diues? cùm denique retuſis omnibus diaboli iaculis ſtat interritus? Quis hunc noſſet magnum, niſi illum nec diuitiarum ſpoliationibus, nec cariſſimorum amiſſionibus, nec corporis conflictationibus ſuccidentem videremus? aduerſa magnum dederunt, & corporis exinde integritas recuperata, & reduplicatæ poſſeſſiones, & pater iterum vocatus, abundè nos docent viciſſe in pugile ſuo Deum, & gratam huic pugnam, & victoriam à Dæmone relatam

tam triumphi materiam dediſſe.

De Tobia eadem dico, vide pauperem & cæcum: & poſt hæc in filio diuitem angelicis manibus famulantibus, felicem hoc famulatu: & quid in hoc damnas? paupertatem? audi tuorum vnum:

Non poſſidentem multa vocaueris — *Quis verè beatus.*
Rectè beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter vti,
Duramq́ue callet pauperiem pati,
Peiuſq́ue letho flagitium timet:
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Omnia in Tobia noſtro reperies, vt de ipſo iam tum ceciniſſe vatem credas. De Sanctorum reliquis iam dixi, riſerunt mortem, & amicum inuitarunt ferrum, ignes, crucem, omnium tyrannorum ingeniis maiores: & hos tu infelices arbitraris, qui tormenta calcarunt vt roſas, qui vltrò ſecures prouocarũnt? Non verũ illud Tragici:

Quiſquis ſub pedibus fata rapacia,
Et puppem poſuit liminis vltimi,
Non captiua dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculum:

Nunquam eſt ille miſer, cui facile eſt mori.

Et quibus facilius fuit mori quàm noſtris? quibus mors vita, & melìor vita?

VITIVM. Fatebor verum, neque enim mihi dubium omne ſublatum: quomodò enim, ſi nihil humanarum rerum fugit Deum, tot vndique malis opprimi bonos patiatur, improbos imperare?

Probos ferè aduerſis, improbos ſecũdis diffluere.

VIRTVS. Non diffitebor quod dicis, explorat enim magnus ille mundialium præſes certaminis, ex alta ſpecula, ſuos; & vniuſcuiuſque ingeniũ difficultatibus penſitat. Idem reperies apud mortales, intuere caſtra: quibus dubia maximè & mille difficultatibus implexa credit imperator? non lectiſſimos & amiciſſimos ſibi ſeponit ad ardua, ignauiſſimos quoſq; deputat ſarcinis? facit idem Deus: quos amat, indurat? mollibus indulget, languent enim per inertiã ſaginati; nec labore, ſed mole & ipſo ſui onere deficiunt, quare & indignos iudicat præmio. Et cui mirum ſi generoſiores animas diſciplinâ contineat triſtiori Deus, damnis exagitet, vt verum robur colligant; nunquam

nunquam enim virtutis plumeum ceruical eſt, ſaxum illi pro lecto. Et verò intuere arbores, nulla ſolida eſt, niſi in quam frequens Aquilo incurſat, cuius vexatione conſtringitur, & radices certiùs figit: fragiles ſunt quæ opaca valle creuerunt.

VITIVM. Quæ hæc eſt æquitas bonos infringi, improbos laſciuire, deliciis circumfluere?

VIRTVS. Et quæ eſt ęquitas fortes pro vallo ſtare, primos in hoſtem duci, ignauos & impudicitiam profeſſos, altùm in purpura ſtertere? labor optimos citat, ignauiſſima quæque & languida ingenia negligit, idem reperies in auro metallorũ primo, igne probatur: vir fortis aduerſantiũ incurſu, magnus ille qui aduerſantibus fluctibus & ventis nauem ducit infractus, occurſantéſque minantes frangit ſcopulos, vt meritò inclamet Lyricus: *Iuſtitia Dei in hac re oſtenditur.*

Illi robur, & as triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit pracipitem Africũ
Decertantem Aquilonibus,
Non triſtes Hyadas, nec rabiem Noti.

At qui ne ſecundo quidem ventorum ductu, curſum tenet, ſtolæ & filamentis, non Oceano natus eſt.

VITIVM. At peſſimum quemque diuitiis, tanquam perpetuo vallo cinctum reperies, vt nec, ſi velit, pateat ictibus.

Veras in animo diuitias eſſe, & verum gaudium.

VIRTVS. Fabulæ: animos intuere, videbis perpetuis curis, & augēdarum fortunarum ſtudio, tanquam ærugine exeſos. Nam quòd auro, quòd argento, ebore, gemmis niteant, parietes ſunt foris culti: & ornatus hic, quid aliud eſt, quàm cruſta quædam tenuis inlatentium ſordium? abrade, & vide quę mentitæ felicitatis ſplendor texit.

Nec tamen optimus quiſque diuitiis caret, licet non fulgeant extrinſecus, intus latent: eo altiùs, quo pleniùs reſponſuræ domino: ita mettallorum opulentiſſima ſunt quorum in alto latet vena: ad has opes nulla fortuna manum mittit: nullum enim illi telū quo animum feriat. Diues ergo ille, & ſolus eſt, qui opes ſuas poſuit extra fortunæ manus, nulla enim hunc ſpes proritabit alieni, quare nec ſperata

fallent

fallent, nullus metus franget:ex hac ſecuritate quantum gaudium! Nã quæ ab alieno veniunt hilaritudines, frontem remittunt, non implent pectus:& ſi quam ferant voluptatem, in præcipiti eſt: ad pœnitentiam vergit & dolorem: contemne, fundamento caret, perfuſoria eſt. At illius omne gaudiũ ſolidum eſt,& introrſum iacet, in animo fideli, caſto, infracto, affectibus vacuo, his cinctus, caput in ſublime porrigit, ridétque & calcat quæ extrinſecus ſplendent, monuméta cadauerum, ſi propiùs ſpes: Quin & contemnit minas, ſecures, funes, cruces, & adactas per hominem ſuũ ſudes: proprium enim viri magni eſt, tormenta & terrores ſub iugum mittere: at ſine morſu velle tranſire hanc vitã, ignaui pectoris eſt,& malè de ſe meriti. Vide milites, vulnera oſtentant, nec tantùm meliore cauſſa, ſed deteriore etiam, ac licet maiora fors fecerint integri, tamen neſcio qui comparatum ſit, vt in maiore gloria ſit fluens ſanguis.

Denique ex te potiſſimùm intelligam, gubernatorem vbi agnoſces? non

Animi robur aduerſis aperiri & firmari.

in tempeſtate? militem? non in acie? pugilem? non in arena? gladiatorem? non in circos? te ipſum vbi? hieme ad ignem? æſtate in vmbra? vere in floribus? autumno in torcularibus muſti? Et quem animum mihi tuum cantabis in paupertate ſeptus opibus? quàm conſtantiam inter tuorum plauſus ſeneſcens? quin conſcientiam hic tuam in conſilium aduoca: an non tibi voluptati eſt, ſi adoleſcentem videas conſtantis animi taurum venabulo aut aprum excipientem, magis etiam ſi leonem? Atqui hæc oblectamenta humanę leuitatis ſunt. Vis Deo digniſſimum ſpectaculum? intuere virum fortem cum mala fortuna compoſitum, maximè ſi & prouocauerit Ignatius: ſi in medium ſemet proiecerit ignem Apollonia: ſi tyranno inſultauerit Laurentius: ſi reprehenderit ſub Diocletiano Sebaſtianus: ſi contēpſerit ſub Decio Vincentius: ſi ſteterit inter prunas tanquam roſas ſub Fabiano Tiburtius: ſi cantauerit inter ignes, excuſſeritque riſu regias conditionales minas trina fraternitas: ſi inter concluſam leonum feritatē ſederit

Spectaculum Deo dignum, vir fortis inter aduerſa.

Exemplis res probatur.

interri

intertitus, nullius præter Dei ſupplex, Daniël. Sed & audi Philoſophum. Demetrij vox eſt, *Nihil videri infelicius eo, cui nihil aduerſi contigit.* neque enim licuit illi ſe experiri, maléque de illo videtur iudicaſſe Deus, tanquam indignum à quo aliquádo vinceretur fortuna: quæ ignauiſſimum quémque refugit, pares quærit: quoſdam faſtidio tranſit: validiſſima aggreditur, aduerſus quæ vim ſuam experiatur, flammas in Polycarpo, leones in Ianuario, paupertatem in Franciſco, aſperitatem in Stylite. Magnum exemplum non niſi magna fortuna dedit. Niſi fortè infelix tibi eſt Polycarpus, quòd toto corpore ignes premat: feliciorne eſſet, ſi totum illud cum Clodio amicæ ſinu foueret? Infelix Ianuarius, qui ſpectáte cauea leones prouocauit, vt ignauos? feliciorne eſſet, ſi cum Mæcenate ſomnum faſtidiret in non euentilano lectulo ſeruorum flabris? Infelix Franciſcus, qui opibus, qui gulę indicit bellum? feliciorne eſſet, ſi in orbe citri, quingentis nummûm millibus empto cum Tullio; aut bis tanto cum Aſinio Gallo, nauſeantis ſtomachi famem

pelle

pelleret? ſi in lancibus centenarij argenti ponderis cum Sylla menſam fatigaret? ſi in vnius mulli obſonium VI. HS. cum Aſinio Celere, deferret? ſi cum Æſopo ex canoris & loquacibus auibus ſexcentorum millium patinam conflaret? ſi cum Neronis familiaribus vna cœna mellita daret, quæ quadragies H S. conſtitiſſent? ſi margaritas cum Tragœdi filio ederet, cum Cleopatra gemmas ſorberet, aut ſuſpenſam auro niuem cum Apicio biberet? Veniamus ad Stylitem: quid illi fortuna nocuit? inuitauit vt ignauam ad certamina: quocunque triginta annis, fatigatum corpus inclinat, incumbit vulneri, & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa tenet lumina: nulla ibi nox, dies eſt: quanto felicior Sardanapalo, qui vt anxiam mentem fallat, mille ſudat voluptatibus?

Quid? tu ipſe dum probatiſſimo cuique obiectas vincula, ferrum, exilium, laudas Camillos, Rutilios, Regulum: quanti in tam numeroſa antiquitate? Chriſtiani non vno ſæculo aut anno, die vna millia dederunt, qui non cum Laterano iterum porrexerunt ceruicem.

cem.

cem, qui non cum Seneca venam præbuerunt ſecandam; ſed qui Prætorianas cruces, enſes, ignes, rotas, omniáque ſuppliciorum genera, inſperatiſſima doloris patientia luſerunt. Quæ ſanè tam varia, Chriſtianorum pueri puellæque ſine Deo, per iocum & riſum non excepiſſent: ſciebant enim ad cæleſtium poculorum nectar, non niſi per amaritudinem calicum terrenorum perueniri: quæ cauſſa, quòd ſecures, forcipes, lapides, fornaces, rotas exoſcularentur tanquam roſas, amarent tanquam violas, calcarent tanquam ſuaueolentes herbas. Has mentes, an inaniter aſſumi poſſe putas?

Vitivm. Dura hæc interim eſſe quis negabit?

Virtvs. Non diffiteor: nónne & aliqua eſt medicinæ quaſi ſæuitia? at duritiam & aſperitatem operis, fructus excuſat: idem in perſecutionibus vſu venit: deſæuiunt, ſed in ſalutem: & vt illa, cauterio & ſectionibus, venientibus, aut iam prementibus medetur malis: ita Deus, per ignes & enſes, incerta hæc curat in vitam, & vitam æternam; mortem morte diſ- *Deũ quos amat, durioribus exercere.*

ſoluens,

ſoluens, tormenta tormentis diſcutiens: ergo occidit in vitam, lædit in medelam, torquet in requiem, vrit in refrigerium, perdit in ſalutem: ita quæ ſæuitia videtur, clementia eſt: quæ tyrannis, gratia; cum pro momentaneis perennatura largitur. Quid hîc meritò cenſeri debet graue? occidi in vitam? malles ſeruari in interitum? Et quo tandem modo vis coronari? de lecto & puluillo?

Intuere Græcos: vide quanta pompa ſuperſtitioſos ſuos celebrent agonas: & tamen quæ præmia ſudoris, ſanguinis, ſupplantationis, pugni, vibicis, vulneris? corollæ & ſtatuæ. Et Deus carnis huius & animæ plaſtes, non poterit hominem in certamen adducere de conſtantia & robore? dare huic palmam, illi honorem? & pro meritorum diuerſitate, diſpenſare præmia cælorum.

Et quid potuit Deus poſt lauacrum periclitantibus & perituris poſt ſalutem, præſentius adferre ſolatiũ, quàm lauacrum ſanguinis? & per enſes & tormenta, fidei & pœnitudinis examinatoria, reparare lapſum, excutere

Digitized by Google

re venenum, elidere aduerſarium? audi illum apud Zachariam. *Vram illos ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quid miramur ſerui? Filius erogatur pro nobis: ille ſine delicto: nos poſt vetitæ arboris noxiam delibationem, innumeris propé modis nuptialem veſtem obſoletauimus: hinc aduerſariorum inſidiis, illinc ſæculi fallaciis deliniti; requirendi per montes & ſaltus, & humeris reportandi, fuga & vulneribus graues: quid accuſamus & querimur? Deus eſt, qui manus ſuæ argillam, afflatus ſui ſpiritum dependit in profectum, erogat in lucrum. Cap. 13. Rom. 8.

VITIVM. Verte te in quam voles formam, negare non poteris, plus honorum, diuitiarum & opum in meis, quàm in tuis eſſe.

VIRTVS. Quàm miſerum eſt altiùs tolli, vt decidas altiùs! & victimæ non ad ſupplicium ſaginantur? hoſtiæ non ad pœnam coronantur? veniet tempus, nec longum, cùm in illo, nimis euidente ſæculi alterius igne, mem- *Honoris & diuitiarum mala, & exitus infelix*

membra vrente & reficiente, Principes tui, purpurati tui, nobiles, diuites
Sap. 5. exclamabunt: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam: cuius, cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis, quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans leuem ventũ, & ſcindens per vim itineris aërem: commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius: aut tanquam ſagittæ emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aër continuò in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius: ſic & nos nati continuò deſini*

deſiuimus eſſe: & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Hæc illi: cui nouum? *Spes* enim *impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.*

Quòd verò plus opum dicas in tuis eſſe, neſcio an ex ſententia Senecæ dici poſſit: qui diuitias non in pecuniarũ aceruo, ſed in animo diuite ponit. Hinc illa verba: *Animus eſt qui diuitem facit: pecunia nihil ad animum pertinet: lapides, aurum argentum, & magni lenatique menſuram orbes: terrena ſunt pondera: quæ non poteſt amare ſincerus animus, ac naturæ ſuæ memor: leuis ipſe eſt, & quãdocunque emiſſus fuerit, ad ſumma emicaturus interim quantum per moras membrorum, & hanc circumfuſam grauem ſarcinam licet, celeri & volucri cogitatione diuina perluſtrat: ideoq; nec exſulare vnquã poteſt, liber, & diis cognatus, & omni mundo, omniq; æuo par: nam cogitatio eius circa omne calũ, & in omnia præterita futurumq; tempus immittitur.*

Veras opes in animo eſſe é Seneca probatur.

Non

Nõ videtur tibi hîc ex Petri aut Pauli ſchola prodire? *In animo*, ait, *non in patrimonio diuitiæ ſunt.* veræ nimirum opes: nam vt corpori ſuæ, ita & animo ſuæ ſunt: qui quo corpore maior, ac in immenſum nobilior, hoc huius opes corporis opibus maiores nobilioréſque ſunt. At animorum opes cùm à corporis nõ pendeant, nec connexionem vllam cum illis habeant, fit vt corpore pauper, animo ditiſſimus eſſe poſſit; vt eger corpore, animo interritus & validus. Et ſolæ animorum opes ſunt quæ fortunam ignorãt: vnde illud illius eſt: *Cui cum paupertate bene conuenit, diues eſt:* addit: *Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt: quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum paſcat, aut fœneret: ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda cõputat.* Et audet dicere nõ poſſe animorum ſtudiis vacari & diuitiarũ. Verba illius ſunt: *Si vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis: non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria eſt.* Pergit inhortari ad paupertatem. *Perpeſſi*

ſunt

ſunt exercitus inopiam omniũ rerum, vixerunt herbarum radicibus, & dictu fœdã tolerauere famẽ. Hæc omnia paſſi ſunt pro regno(quo magis mireris) alieno: & dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animũ paſſionibus liberet? Non tibi hæc ab Euangelio mutuata videtur? addit. *Vis ſcire quàm nihil mali ſit in paupertate? cõpara inter ſe vultũ diuitis & pauperis. Sæpiùs pauper & fidelis ridet: nulla ſollicitudine concutitur, in alto eſt.* Remedium ſubiunxit ad omnẽ fortunæ occurſum. *Ne imparatos nos fortunà deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securiùs diuites erimus, ſi ſciemus quàm non ſit graue pauperẽ eſſe.* Docet deinde quo loco apud nos diuitię eſſe debeãt. *Diuitiæ apud ſapientẽ virũ in ſeruitute ſunt: apud ſtultũ in imperio: ſapiẽs diuitiis nihil permittit, ſtultus diuitiis omnia: vos tãquam aliquis vobis æternã poſſeſſionem earũ promiſerit, aſſueſcitis illis & cohæretis: ſapiens tunc maximè paupertatẽ meditatur, cùm in mediis diuitiis conſiſtit. Sapienti quiſquis abſtulerit diuitias, omnia illi ſua relinquit: viuit enim præſentibus lætus, futuri ſecurus.* Non arbitreris hæc è monitorio diuitis illius

Digitized by Google

Euãgelio prouenire, qui plurimos ſibi annos ſpondebat, & æternas opes? Audiamus alterum, & quidem è voluptatis ſchola, quid vniuerſim de opibus ſentiat. *Maximæ diuitiæ ſunt ad legem naturæ cõpoſita paupertas.* Subdit Stoïcus: *Lex autem illa naturæ, ſcis quos nobis terminos ſtatuit? Nõ eſurire, non ſitire, non algere, vt famem ſitimq́; depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, nec ſupercilium graue, & contumelioſam etiam humanitatẽ pati ad manũ eſt, quod ſatis eſt.* Accipe alterũ ab Epicureo calamo. *Is maximè diuitiis fruitur, qui minimè diuitiis indiget: qui eget diuitiis, timet pro illis: nemo autem ſolicito bono fruitur.* Firmat Stoïcus: *Nam quod ad illos attinet, quos falsò diuitiarum nomen inuaſit occupata paupertas, ſic diuitias habent, quomodo habere dicimus febrem, cùm illa nos habeat: è contrariò dicere debemus, Febris illum tenet: eodem modo dicendum eſt, Diuitiæ illum tenent.* Non videntur tibi hæc ab Auguſtino aut Ambroſio venire?

VITIVM. Nolo Scriptura tecum contendere, nolo Philoſophorum placitis: vincis. Hoc verò omnino miror,

ror, diuitias à te contemni: cùm à tuis magno ambitu certari in illis videam: quin adeò, non vltimam orbis partem occupaſſe: certè in vno non maximo regno, ſuprà quadraginta auri milliones poſſediſſe reperio: & hæc eſt moderatio morum: ſtarem: ignoſcerem: nunc reliqua etiam ſpe deuorarunt: aut ergo fatearis, beatitudinem quandam opum eſſe, aut extra virtutum ſemitam tranſuerſum tuos agi, ac in inſenſatorum numero eſſe.

VIRTVS. Opes ego meorum, nec damno, nec probo: alium locum diſputatio hæc depoſcit: quãquam à quo calamo hîc in Eccleſiæ opus inſurgas nemo non videat tacerem: at noui ingenium: in omnibus, viciſſe te, ſi ſileo, inclamabis: ergo quantũ auguſtiſſimę rei amplitudo patitur, paucis reſpondebo: quãta res, triginta aut quinquaginta auri milliones, ad bis mille & quadringentos milliones, bis inquam, ne erres, mille auri milliones, & ducentos, totidémque argenti, quos munificentiſſimæ Dauidis manus in vnum Ieroſolymæ templum conuaſarunt, Salomonis profuderunt?

Leuiticæ tribus opes cum Eccleſia comparata. templiq́; Salomonis, Veterumque Chriſtianorũ cum noſtris. Sumptus facti in Ieroſolymitano templo.

Non

Leuitarum opes. Non egrediamur Palæſtinam ſemel ingreſſi: confer in ea Leuiticæ tribus opes cum plurimarum prouinciarum, adeóque & regnorum in Europa: vis propiùs hæc manutangere? Vni huic tribui Deo ſacratæ, per ſingulas tribus ciuitates addictæ quatuor: vniuerſim proinde ciuitates octo ſuprà quadraginta: quibus Num. 35. Ioſue 21. additi agri ſuburbani paſſuum duorũ millium: ſubduc rationes, comperies milliaria agraria nonaginta & nouẽ: quæ quanta fuerit, promiſſæ illius tot antè ſæculis, melleæ ac lacteæ terræ portio, vis ſcire? vniuerſa, ſi latitudinem meciaris, procẽditur in milliaria, vt quâm maximè largiamur; centum quatuor; ſi longitudinẽ, quadringenta & octoginta. Vni igitur huic tribui quartam terrarum Palæſtinæ partem, & vltrà videbis delatam imperio magni Dei. Adde his, omnium, quæ fœcunda tellus illa, propè ſuprà fidem; ſinu fundebat, partem decimam: adde frugum, pecorum, ſed & humani decimati capitis primitias: adde denique hoſtiarum peccata expiantium non ignobilem partem.

Digitized by Google

Vis etiam propitiùs opes intueri, & in illarum magnitudine, tanquam in oceano te mergere? vis ex annuo Palæſtinæ prouentu, ſummotenus libato, Leuiticæ tribus opes metiri? nihil indulgebo verbis, quod fieri videmus rerum defectu, ſed & breuis eſt veritatis aſſertio. Salomoni Palæſtina tributi nomine pendebat annis ſingulis talenta bis mille ducenta, & viginti ſex: auri nimirum milliones ſex & viginti, ac ſeptuaginta & duodecim aureorum millia, argentum verò nulla deſignatione certa: vt non ſtillare tanquam de perenni culmo, non cœli more ſtellare, nimis rarè ſparſum hoc ornamentum: ſed fundi crederes, ac pro imbribus eſſe, ea illius frequentia erat, ea vilitas. quibus ſi addas annuos ex Ophir auri milliones quinque, argenti etiam plures, ſi capita tributo, tanquam ſtipendio cenſa, è quorum ſingulis didrachmam, regales nimirum duos per prouinciam erogatos, adde donaria, vectigalia reliqua; comperies annis ſingulis Salomonem in regios theſauros potuiſſe recondere auri milliones minimùm centum. Nam

Salomonis opes.

regiam domum ſingulæ per ordinem tribus, memſibus tribus alebant, tribuum Præfectis in hanc rem ſeriò excubantibus, quarum etiam ære quadraginta millia equorum currulium, & duodecim equeſtrium millia alebantur.

Ex his regiis, ſi Leuiticæ tribus opes deducamus, nullo negotio videbis, quantas vna hæc, Deo, templo, ſacrificiis dicata, extulerit è prouinciæ illius fœcundiſſimis promiſſi fœderis largitionibus, quas qui penſiore examinauerit iudicio, neſciet vicerit Rex an Leuita. Poſſem hac de re copioſiùs tecum; ſed non vult veritas iuuari, & ferè longioris orationis blanditiæ corrumpunt illius dignitatem. Vixiſſes illa ætate, non inclamaſſes, Tempera, quò tantæ opes?

Veteris Eccleſiæ in variis prouinciis opes.

Sed manum de hac Palæſtina tabula, tranſeamus ad noſtros, vide Eccleſiæ opes, Germanorum apud Irenicum, Scotorum apud Leſſeum, Polonorum apud Cromerium, Suecorum apud Olaum, Danorum apud Saxonem, Noruegorum apud Crantzium. Gallorum metire ex liberali Roma-

Gallicanæ Eccleſiæ opes.

norum

norum Pontificũ acceſſione: qua factum narratur, vt bis millies mille aureorum ſingulis largitionibus, è prædiis Eccleſiæ dicatis conuaſatum fuerit. Sed & Carolus mihi teſtis, qui non tam rerum geſtarum, quàm munificentiſſimæ dexteræ immortali gloria, Magni nomen inuenit: quòd ita demum ſibi videretur ad ſummum felicitatis euectus, ſi quàm plurimis Eccleſiam opulentaſſet, nec eum ſpes fruſtrata: cùm & ipſa elementa viſa illi quaſi iurata ac ſtipendiata famulari. De Hiſpanis conſultiùs taceo, orbis ipſe loquitur, ſed & ipſe Rex Pontificia conceſſione, dicitur annis ſingulis ex Eccleſiæ ſacratis rebus, millies mille aureorum, & ſupra, colligere.

Hiſpanicæ Eccleſiæ opes.

Vis in remotiſſima barbarie regiæ in Eccleſias munificentiæ exemplum; vis quale ſors nulla retro vidit ætas? habes oculatum teſtem Franciſcum Aluarum Emmanuelis Luſitaniæ Regis Legati ſocium vidit hic in Æthiopia templa decem, è ſolida rupe ſingula, intercurrente in ambitum via, quæ rupiũ reliqua à templis ſegregat, quo

Æthiopicarum Eccleſiarum miracula.

Digitized by Google

facilior ſit aditus: ſed & vno loco templum templo inædificatum; veriùs, ex vna rupe, templa duo, ſtupente ad humanum ingenium, exciſa; quorum vnum alteri ſuperſtat. Et quas opes credas hic profuſas? quos propè auri montes? Accipe aliud. Trutthaim oppidum apud Noruegos, olim potens, ac tantùm-non altera Ecbatana, nunc extra templum, vicus ſolo veteri nomine nobilis, huius templi altaris principis crepidinem igne exeſam, ſeptem aureorum millibus, vix tandem priſtino nitori reddiderunt, teſte Bauaro Zieglero. Cogita operis, huius reliquas, quanti milliones ſepulti in fundamenta? quanti in reliquam auguſtiſſimam machinam? nam crepidini huic reliqua reſpondent, opere, ſplendore, pretio.

Vnius Noruegici templi præſtantia.

Vis Angliæ Regum prodigam propè in Eccleſiam manum? Henricus Octauus annis paucis, dena templorum & monaſteriorum millia euertiſſe, aut in profanos vſus vertiſſe traditur, ac ille ipſe, cùm celeberrimũ Thomæ gentis illius Martyris monumentũ donariis exueret, ſex & viginti boũ plau

Anglicana Eccleſia diuitiæ.

plauſtra, auro, argento, gemmis, tanquam in triumphum proſtratæ religionis, onerauit, fuerunt hæc vnius monumenti.

Vis aliud in priuato viro nobili? Petrus Dunius ſeptem ſupra ſeptuaginta templa, è ſecto lapide, priuato ære conſtruxit in Polonia: ſed & ſingulis annuos prouentus addidit planè regios: & ſuper hæc bina ingentia monaſteria.

Occidentalium Eccleſiarum numerus.

Hæc priuatus, dabo recentiora. In Occidua India, non multis annis templa ſteterunt ſub annum reparatæ ſalutis 1576. ſeptuaginta millia. Nemo hæc mirabitur, qui intra Vrbis mœnia, & duobus in illius ambitum milliaribus, tria templorum millia numerauerit. Quid? ſi Leoni Afro credimus? in vrbe Feſſa ſeptingenta tēpla repperiemus: horumque maximum milliare ſolidum muro ſuo claudere, nongentis lampadibus noctem excludentibus, diem vincentibus. Plura ſi voles de Eccleſiæ ornamentis & opibus, Cyrillum Ieroſolymitanum lege, Athanaſium, Optatum, Nazianzenum, Nyſſenum, Ambroſium, Hieronymum, Chryſoſtomum, Auguſtinum,

Paullinum, Prudentium.

Vis nouitia? Trithemius audet aſſerere D. Benedicti ſacrã poſteritatem, quartam aliquando orbis Christiani partem poſſediſſe.

Dianæ templũ. Vis Gentilia? non tenebo te diutius. Epheſiæ Dianæ Aſia vniuerſa templum poſuit annis ducentis viginti: in hoc columnas centum viginti ſeptem, ſinguli Reges ſingulas.

Non ignobiliora dedit Iaponiæ *Iaponica templa.* Rex, qui ante annos octingentos. Frenomiamum montem (nouem hic paſſuum millibus à Meaco eſt) tribus templorum millibus & octingentis, tanquam nouis ſideribus nouum in terris cælum, veſtiit: adiunxit ſingulis Bonziorum domum, & partem tertiã vectigalium vniuerſi regni. In hoc monte non arbitraris quadraginta ſiue prouinciæ, ſiue regni, cuius meminiſti, milliones, muſcã eſſe in elephantis proboſcide, culicem in cameli gibbo; pulicem in britannico moloſſo; denique fluentis gutturnij ſtillicidium eſſe in Oceani vaſtiſſima laxitate?

Neque hæc dico, quòd inhiari velim opibus, aut incubari theſauris, non

non didici hæc à Chriſto meo: qui beatos denuntiauit pauperes, paupertatem ipſe profeſſus, qua nemo vllo ſæculo maiorem, ſed vt videas quibus animis maiores noſtri fuerint in ædificandis ornandiſque templis, quibus Iudæi, & quidem dictante Domino, vt diſcas templorum à Deo ornatum venire, qui imperio Chriſtianis ſuis omnibus, in Ieroſolymitano templo præiuit, errare non poſſumus tanto duce, cuius monitu, cùm mannæ, Moſaicis tabulis, & virgæ, auguſtiſſimum orbe toto templum erectum ſit; quæ ornamenta ipſe Domino temploque eius admouenda putamus?

Non quòd amem in vno aliquando capite theſauros magnos, quos nec amauit Dominus, qui in ſequelā ſuos inuitauit humilitatis & paupertatis: ſed vt oſtendam veterū morem, cùm par iſſimi in ſe ſinguli, & in ſuos; profuſiſſimi in Deum fuerunt, in illis parcere modeſtiæ putarunt, prudentiæ in his profundere. Quare ſi quis opes ſibi depoſcat, non ſequitur Chriſtum; ſi templis, Chriſtum ſequitur, quin adeò ſuis ſe exuere vt Chriſtum

Digitized by Google

induas, non poteſt meriti non eſſe maximi, remunerandi à Deo centupla fœneratione: teſtem fœnoris huius ipſum habemus, non alium: quare ſi adoleſcentem noſtrum impellas in opes in Chriſtum erogandas, probo: perge inhortari: ſin opes ſuadeas inter ſodales prodigendas, in conuiuiis reliquiſque ſæculi profuſionibus, damno: non ego, ſed Chriſtus, & quidquid olim in Eccleſia doctum, quidquid ſanctum: imò quidquid à veteri Philoſophia vlla vnquam ætate fuit.

VITIVM. Quidquid eſt de omnibus antè à te tanto verborum rationúmque ambitu confirmatis; quò mihi Deus? quò prouidentia? aut cui? quò animæ corpori immorituræ?

Animam immortalem eſſe.

VIRTVS. An non hoc eſt laxare ſinum criminibus? vt pleno oceano impudentiæ nauiget claſſis, inuerecundiæ remis, velis ventíſque impulſa? ad quę non præcipites deuoluimur? Deũ ipſum rediuiui Capanei petimus ſtultitiâ, timeamus fulmina, & noui, Amphiarai funera. Nimirum *primos in orbe Deos fecit timor*, quid nî ab eodem ore,

ore, *Virtus mihi numen & enſis, Quem teneo?* bene eſt. Deum tollimus, ne iudicem patiamur: fatum admittimus, ne ferrum in noxios ſęuiat: ita reſpublicas, regna orbem vno fati nomine euertimus, libertatem homini adimimus, in belluam vertimus: prouidentiam negamus, quo liberiùs per fanda nefādaque, rapiamur impuniti, ſecuri de ignaro Deo, & cælo ſuo clauſo, animā deníque, ne quid impietati deſit, poſt hāc vitā vita exuimus, ne aut pręmiis in virtutes animemur, aut à ſceleribus pœnis terreamur: omnia negaturi vt omnibus tutò fruamur, etiam patrem & matrem, ſi profutura negatio eſt, mirum, ſi non & humanas animas refinganrus in beſtias, vt nunc anima inſultet in aquila, nunc deſultet in anguilla, nunc in caprā tranſeat, nunc in coturnicem, nunc ſterquilinia impinguet, nunc venena ruminet, cur non & ex atomis figulemus hominem, in eoſdem refigulandū? aut cur non noui Valentini nouas meditamur Æonias ſcrophas, nouas Deos matres, patres, in quibus Nus & Sige, Ogdoas & Achamoth, quæ nouos cęleſtes

pipiet imbres? O fatui! quid? ſæculum ſuis quandam immortalitatem ſpondeat in ſtatuis, imaginibus, honoribus publicis: & diuina iudicia humanis poſt mortem erunt mendiciora, contemptibilia de pœnis, fruſtrabilia de præmiis, vt nec peſſimi metuant, nec optimi ſperent? quàm vereor ne in non morituris ignibus ſemper vrentibus, nunquam finientibus ſerò ingemiſcant ingenia hæc, ô quàm nimis verè, tam ſupplicij, quàm refrigerij ſententia ibit æterna? vtique non in belluas, ſed in homines.

Rationibus animæ immortalitas probatur.

Sed ad rem propiùs, credisne fruſtra humanis animis inditam æternitatis ſpem? credis ſatiari hunc perituris poſſe? nuſquam illi ne orbe quidem domito quies, nouos quęrit, aut credis fatua hæc animis deſideria, dominoſque fruſtratura indidiſſe? immenſa deſideria humana ſunt, & in omne æuũ ſeſe extendũt, & fortuita hæc arbitraris vota, & rebus ſuis inania, vmbras ſine corpore, ſine ignibus fumũ? nulloque arbitraris tot diuites naturę ſpes fundamento niti, nullo fulciri; ſed de comœdia fabulam, aut de Her-

culis

culis tragœdia ſcenam arbitraris?

Iam quid de anima cenſes; nō ſpiritum corpus inanimentem, inhabitantem? voluntatis verò, ingenij iudicijque operationes, non tibi purę & à corporum miſtura ſecretæ cum Philoſophis videntur? & arbitraris nudas puráſque ſpirituum actiones à corpore profluere ac proſilite poſſe, vt in corporeas actiones corpora parturiant, ab hac nimirū matrę illi filij, ab hac cauſſa illi effectus? Quòd ſi animam, cum vniuerſa Philoſophorum ſchola ſpiritum corpore ſuo nudum conceſſeris, quo hoſte cadet? nec ignorare potęs. quidquid interit, hoſtem pati: aduerſariarum enim partium interitus ſequuntur, non ſæuiunt inter ſe amicą: vt dicam cum Lyrico:

Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus.
Vnquam, niſi in diſpar genus.

& cum altero: *Parcit*
Cognatis maculis ſimilis fera, quando leoni
Fortior eripuit vitam leo: quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?

Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: ſæuis inter ſe conuenit vrſis.

Tolle proinde aduerſantia, & mortẽ ſuſtuleris, & æternabis vitam, vbi enim nullæ pugnæ, mors nulla. Quem verò hoſtem vitæ ſuæ inſidiantem ſortiri ſpiritus poteſt? ex aduerſantiũ ſibi qualitatum pugna cadimus: hanc ſi nemo prudens largiri animabus poteſt, nec mortem poteſt? Audiamus Senecam: *Mobilis & inquieta mens homini data eſt: nunquam ſe tenet, ſpargitur, & cogitationes ſuas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga & quietis impatiens, & nouitate rerum lætiſſima, quod non miraberis, ſi primam eius originem aſpexeris: non ex terreno & graui concreta corpore; ex illo cæleſti ſpiritu deſcendit: cæleſtium autem natura ſemper in motu eſt:* & alibi: *Animus ſacer & æternus eſt, & cui non poſſunt iniici manus,* at incorrupta cæleſtium natura eſt, ignorat mortẽ, mori poſſet, ſi ex terreno & graui concreta corpore foret, nunc cũ à cæleſti ſpiritu ipſe cæleſtis deſcendat, interitum neſcit, & aſſimilatur illi

illi à quo deſcendit: &, ſi æternus eſt, & cui non poſſunt iniici manus, mori non poteſt: neque enim mori aut interire æterna poſſunt: aut, ſi intereunt, æterna non ſunt.

Quid ſi Deus eſt, vt eſſe illum quidquid vſquam natum eſt, loquitur; credis iniuſtum eſſe poſſe, ſi Deus eſt? & quomodo iuſtum dices, ſi indotata tranſit merita, impunita ſcelera? At quanti vitæ moribúſque integri, omni vitæ tempore, iactantur aduerſis? quanti improbi ſecundo feruntur curſu aduerſitatum ignari? quare, niſi poſt hanc vitam, & illos præmia, & hos pœnas manere dixerimus? neceſſum iniuſtum fateamur Deum, qui nec hîc, nec alibi probitatem præmiet, improbitatem puniat: quod vt fiat, neceſſum animam cõcedamus ſupereſſe corpori, in quod & præmia & pœnæ pro meritorum demeritorumque varietate, decurrant.

Nolo diutiùs diſputationi huic inſiſtere, ne iniuriam ſæculorum omnium conſenſui facere videar: qui ſatis homini eſſe debeat ad quamcumque rem aſtruendam, nedum ad hanc adeò

indubi

Veterum Philoſophorũ teſtimoniis animæ immortalitas probatur.

indubitatam, ad quam nos natura non ducit, ſed rapit. Chriſtianè in hac re Phocylides: *Corpus ex terra habemus, & omnes in eam reſoluimur, puluis ſumus: cœlum verò ſpiritum recipit, anima immortalis & ſenectutis expers viuit.* Poterat aliquid clariùs & certiùs? poterat magis à mente Chriſtiana? Chriſtianè etiam Naumachius: *Mortuorum ſtatim nõ caſtæ mentes pœnas luunt:* non poſſunt mortuę: viuunt ergo ſi pœnas luunt. Nec Naumachio minor Epicharmus: *Si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus: ſuperiùs manet in cœlo ſpiritus:* manere ſuperiùs ſpiritus non poteſt, ſi cum corpore occidit: vt maneat, occidere non poteſt. Addo Senecam: *Cùm venerit dies ille, qui miſtũ hoc diuini humaniq́; ſecernat, corpus hoc vbi inueni relinquam: ipſe me Diis addam: nec nunc ſine illis ſum, ſed graui terrenoq́; detineor: per quas mortalis æui moras, illi meliori vitæ longioriq́; præluditur.* Non poteſt ſe Diis reddere, ſi cum corpore interit: non poteſt per has æui moras, meliori longiorique præludi, ſi nulla poſt has mortalis æui moras, vitæ mora ſupereſt. Addit: *Alia origo nos exſpe-*

ctat, rerum ſtatus: non poteſt expectare omni parte ſua mortuum. Claudit: *Intrepidus horam illam decretoriam proſpice: non eſt animo ſuprema, ſed corpori:* ſi non eſt animo ſuprema, quo modo perit cum corpore anima? vt ſuprema non ſit, vita neceſſum viuat alia. Subdit, *Dies iſte, quem tanquã extremum reformidas æterni natalis eſt:* ſi æterni natalis, non interit cum corpore anima: naſcitur meliore vita morte. Confirmat: *Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem totus aſpexeris, quàm nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intueris:* ſi integra ſe lux effundet animo corpore ſuo viduato, interire cum morte anima non poteſt: neque enim ſe lux mortuo effundere poteſt, nec hac frui mortuus: ſi fruitur, viuit: fruitio viuorũ eſt. Non tenebo te diutiùs.

Hoc quæro & finio: quid vis perire animam, nec ſupereſſe domicilio ſuo corpori? fingamus perire: quæ damna metuis perituræ animæ? immortalem credas, non credas, nulla opinionum harum damna mortali dare poteſt, immortali poteſt: cur ergo inſiſtam mortalitatis opinioni, quæ æternùm perdat.

perdat, ſi immortalis anima eſt; & non adhæream immortalitatis opinioni; quæ cùm obeſſe non poſſit, prodeſſe æternùm poteſt? ſequere tuta: nam ſi immortalem mortalem arbitreris, nulla immortalitas opinata, damna mortali animæ dare poteſt: nullus enim damnorem poſt mortem ſenſus: ſin immortalē mortalem arbitraris, æternùm opinio hæc luenda erit: adhære ergo illi, quod obeſſe credēti non poteſt, prodeſſe poteſt: ſepone illud quod prodeſſe credenti non poteſt, obeſſe poteſt: nemo prudens incerta certis anteponit, emolumento nullo.

VITIVM. Multa hîc tu de anima, de corpore altum ſilentium: quis illud animæ reddat? quis poſt tot reuolutiones rerum, tot mutationibus fatigatum, tot diſſectum, ſparſum, reddet ſibi? hæc dici, & credi?

Corpus poſt hanc vitā reſurgere & redanimari.

VIRTVS. Quid te hîc terret? vbicunque reſolutus fueris, quæcumque te materia deſtruxerit, hauſerit, aboleuerit, in varias formas, corpora, in nihilum denique prodegerit, reddet te tibi Deus: & ſuperinduet in illo die hoc corpus, propriæ æternitatis ſubſtan

ſubſtantiâ, reuertentibus in corpora ſua animabus.

Et non totus hic ordo rerum teſtatio quædam eſt reſurrectionis corporum? non lux quotidie interfecta reſplendet? non tenebræ pari vice reuiuiſcunt, dum mutuo ſe interimunt, mutuo reſcindunt? redaccenduntur ſanè ſtellarum radij; redornantur lunę ſpecula, quæ menſtruus numerus attriuerat: reuoluuntur hiemes, æſtates, verna & autumnalia tēpora, cum ſuis vicibus, moribus, fructibus: & non arbores reueſtiuntur poſt ſpolia, non denuo colorantur flores? certè ſemina non niſi corrupta ac diſſoluta fœcundiùs ſurgunt. Ita omnia pereundo ſeruantur, omnia de interitu reformantur, omnia finiuntur vt redeāt, vt nihil depereat, niſi in ſalutem: & tu miraris corpora ſibi reddi, cùm prata, nemora, hortos, pomœria, vinea conſideras?

Intuere Iſraëlem, veſtimenta & calceamenta annis quadraginta indetrita & inobſoleta videbis, etiam comas & vngues ſtetiſſe reperies. Ionas ſanè à marina deuoratus bellua, in cuius aluo naufragia digerebantur, triduo incolu

incolumis exſpuitur: & Babylonij ignes ne in trium quidem fratrum tiaras ſæuiunt. Enoch verò & Elias, nondum morte functi, licet de orbe tranſlati, carnis immunitate gaudentes, iniuriarum ac contumeliarum inexpertes, cui fidei præludunt, niſi illi, qua credi oportet, futuræ hæc integritatis eſſe documenta? Iam manus Moſis, & quidem ad inſtar emortuæ exanguis, albida, frigida, ſed & recepto calore, refuſóque calore, eadem caro ſanguis, quid niſi corporum aliquando integritatem teſtatur? Chriſtus quoque in montis ſeceſſu veſtimenta luce mutauerat: vbi etiam Moſes & Elias, alter in imagine nondum receptæ carnis, alter in veritate necdum defunctæ, eandem tamen habitudinem corporis perſeuerare docuerunt. Inſpice deinde de poſteritate monſtruoſum Orientis alitem, qui ſeipſum funerans renouat, natali fine decedens, & ſuccedens iterum Phœnix: quid expreſſius in hanc cauſſam? aut cui alij rei tale documentum?

Vitam deinde noſtram, an fruſtra ſuſpirare credis in ſæculi occaſum; in

tranſi

tranſitum mundi, in diem Domini magnum, nulli præterquam Patri notum, ſignis tamen & portentis, elementorum concuſſionibus, nationumque conflictationibus prænotatum?

Aut incredibile putas reſtitui ſubſtantiam interitui ſubductam? quid? ille Deus hæc non poterit, qui incultis primùm elementis mundum depalauit, dehinc prodigioſo munere exornauit? qui ſolem luminis ſplendore impleuit, tenebras lunæ ſolatio temperauit, cœlum ſideribus ſignauit, maria belluis frequentauit, varia terram fœcunditate donauit? quique hęc quę videmus cultiſſima omnia ex prima illa confuſa & maſſali informi congerie dedit? qui frutices exhinc inoculauit, formauit folia, inflauit germina, inoculauit flores, condiuit ſuccos, protruſit fructus? quid? qui corpus noſtrum ſemel de limo figulauit, ſanguinem, carnem, muſculos, neruos, oſſa, venas, comam, vngues, reliquáque theſaurorum interna, non poterit illud cùm omni famulatu ſuo ſibi reddere potuit antè è

neccdum

necdum ſubacta & adhuc virgine terra hominem figulare, non poterit è compreſſa & ſeměti ſubacta? non carnem è terra produxit, ſuffuditque huic ſanguinem, ſubſtruxit oſſibus, veniſque ac neruis intexuit? & quis illi eandem deneget potentiam diſſociata ſemel anima quàm antè conceſſam negare non poſſumus?

Figulo licet argillam tẽperato ignis afflatu, in robuſtiorem materiam recorporare, & aliam ex alia fingere; & negabimus Deo, quod concedimus figulo? ſed hic aliam, non eandem reuocat: ita eſt: at tu non vis plura Deo quàm figulo largiri? Non potuit antè Deus formare hominem? nos loquimur, negare non potes: quis illi virtutem ademit? finge animo tuo certam terræ portionem? quæro; poteſt ex hac Deus figulare humanum corpus, an non? nō poſſe: nemo tam barbarus dicet: poteſt? fingamus feciſſe: non poterit idem corpus in matricem ſuam terram reſoluere? demens ſit qui neget: ex eadem verò terra ſemel corporata, nunc terra, non poterit idem corpus figulare? aut non tantæ potentiæ eſt,

terram

terram ſemel corporatam ſibi reddere, quàm corpus ſibi deſiit in corpore eſſe terra, redit reſoluto corpore terra: deſiit & corpus eſſe, & rediit ad matricem ſuā terram, redîtque ad ſe rurſum eadem Dei manu, qua primò è terra formatum fuerat: & ille qui è nihilo cœlum terrámque condidit, non poterit idem corpus animæ ſemel ereptum reddere, redhibentibus carnem ignibus, vndis, aluis ferarum, rumis alitum, lactibus piſcium, & ipſa temporum gula? Quæ vis maior, de nihilo hæc condere, an diſperſa colligere & reddere? aut ademit Deo potentiam ſemel afflatum anima corpus? non: fatua hæc, & ab omni ratione remotiſſima? ingenitam ſibi vim adimat corpus Deo? ſpoliétque natali die ſuo corpus, robore ſuo Deum: hoc qui poteſt, etiam tollere de medio Deum poteſt: & iam ſuſtulit: indiuiſus Deus eſt, nulla parte ſui fruſtrari poteſt: ſi poteſt; interire totum neceſſum eſt: ignorat Deus partes: ſimpliciſſimæ naturæ eſt: à qua quidquid ſubtraxeris, ipſam neceſſariò ſubtraxeris. In quo verò reformandi ſemel deperditum

perditum corpus impotentia? in Deo? maiora in prima figulatione dedit: quis minora negabit? In corpore? quis ſubtraxit illud potentiæ diuinæ? ante formationem ſuberat, non ſuberit poſtea? è terra ſemel potuit, non poterit ex eadem terra? eadem terra eſt, eadem diuina potentia eſt. quis negabit idem corpus? aut exhauſta Dei potentia eſt in prima corporis figulatione, vt nihil reliqui illi ſit ad ſecundam?

Iam quoties animas reuocauit in corpora Dei virtus, & eundẽ hominẽ reſtituit ſibi? teſtis mihi quatriduanus Lazarus & viduæ filius, & tot omnibus ſæculis per orbem vniuerſum: & nõ poterit idem corpus ſibi & animæ reddere? aut temporum intercurrentia ſpatia, Deum robore ſuo exuent?

Illud verò velim ex te nunc potiſſimùm audire, aliáne in homine caro peccauit, alia poſt diem Domini magnum torquebitur ignibus? alia laborauit, caſtéque ac piè vixit, alia coronabitur? quæ hæc iuſtitia Dei? carebit gloria, promerita caro, carebit pœna? donabitur gloria aut pœna, nec hanc nec illã promerita eſt caro? quod omnino

nino neceſſum ſi alia reſurgit caro, aut nō reſurgit eadem: aut ergo iniuſtum fatearis Deũ, qui immeritos præmiat, immeritos punit; aut eandem reſurgere carnem fatearis, quæ merita mercede donetur: & cùm eadem anima coronetur, cur non eadem caro animæ dotalis ſocia, meritorum demeritorumque dum viueret ſocia? non quorum merita & coronæ ſunt? quorum demerita, & pœnæ, & è quibus oculis & dentibus fletus & fragor in gehenna? non è peccantibus? Idem ergo corpus torquetur ignibus, quod peccauit: idem præmiatur, quod intactum ſe à ſceleribus ſeruauit: idem ergo reſurget, ſi præmiari idem, ſi puniri idem debet, ſi ſtare iuſtitia diuina debet, ſi Deus.

Vitivm. Nimirum credenda hæc omnia veniunt: cæco in iſta impetu ruendũ: nō diffiteor Philoſophorũ aliquos in vario propoſitarũ à me quæſtionum genere ſubobſcuro & dubio ferè calamo aliquid tetigiſſe: quod ſignum mihi nullo rationis lumine ad illa perueniri potuiſſe, quæ tu tam variè, fortiter, prolixè aſtruere conatus es.

Virtvs.

Virtvs. Nunquam dixi natura nuda duce, quemquam ad omnia fidei noſtræ myſteria perueniſſe: quanquam pleráque ac propè omnia rationibus firmari poſſe non diffitear, vnus te hoc Mercurius Triſmegiſtus Philoſophorum non vltimus docebit, vt ab hoc diſcas ad quæ rationis lumine peruenire poſſimus.

Pleráque fidei Chriſtiana capita è Triſmegiſto confirmata. Deũ eſſe.

Devm esse. *Quis mare ſuis finibus circumſcribit? quis terræ pondus ſiſtit, ac librat in medio? Eſt certè aliquis horum auctor ac dominus: etenim locum, vel numerum, vel menſuram ſeruare abſque auctoris virtute impoſſibile eſt: ordo fieri à deformitate nequit. Quòd ſi per ea etiam quæ terra ſuſtinentur fragilia, & ea quæ profunditate conduntur, Deum artificem inueſtigare volueris: age, circumſpice humani corporis opificium, cuius admonitione perdiſce, quis nares aurésq; tornauit? quis labia diſtendit oris? quis neruos tetendit atque ligauit? quis irrigauit venas? quis oſſa congeſſit ſolida? quis carnem pellicula tenui circumtexit? quis digitos articulóſque diſcreuit? quis fundamenta pedum extendit? quis perforauit poros, atque meatus aperuit? quis ſplenem coëgit*

atque

Digitized by Google

atque compreſſit? quis iecoris porro rexit fibras? quis pulmonum ſculpſit fiſtulas? quis aluo capacem amplitudinem tradidit? quis honoranda corporis membra in propatulo figurauit? quis obſcœna in obſcuro prorſus abdidit, eaq́ aſpectu cernentium voluit ſecreta iacere? Vide quot diuinæ artis opera in vna materia demonſtrantur, ſingulaq́ pulcrè recteq́ dimenſa, nec non propriis inuicem officiis differentia: quiſnam ſingula finxit? qualis pater? Nónne hæc ſolus inuiſibilis Deus, cuncta propria voluntate molitus eſt? Et cùm ſtatuam & imaginem abſque fabro & pictore fieri nullus aſſerere audeat, miram mundi huius conſtitutionem ſine conditore conſtitiſſe putabimus? ô cæcum homunculum! ô nimis inopem! ô profundis obrutum ignorantiæ tenebris! caue, caue, ne vnquam artificium priues artifice, quin immò congruo Deum nomine præinuocato, patremq́ eius proprium eſſe exiſtimato. Quòd ſi me quidquam audacius proferre coëgeris, huius eſſentiam eſſe dicam concipere, & facere ſingula, quemadmodum ſine factore fieri quidquam nequit, ita Deũ exiſtere ſemper, niſi ſemper agat, impoſſibile eſt; in cælo videlicet, aëre, terra,

mari, in toto mundo, in qualibet particula mundi, non videris tibi Iobum aliquem audire loquentem?

Deum vnum eſſe.

Devm vnvm esse, non plvres. *Cùm multi variq́ sint motus, & diſſimilia corpora, vnus autem ordo velocitatis in omnibus, impoſſibile eſt duos aut plures eſſe factores, neque enim ordo vnus ſeruaretur in multis, præterea qui inter illos imbecillior eſſet, potentiori inuideret, ex quo ſeditio quædam oriretur, vnus ergo ſingula facit in multis. Num cenſes arduum quoddam & laborioſum in Deo, vitã noſtram, immortalitatẽ, mutationemq́ efficere? tunc enim tot tantaq́ potes, vides audis, odoras, guſtas, tangis, loqueris, graderis, ſpiras, intelligis: neque alter eſt in te qui videt, qui audit; nec loquitur vnus, graditur alius; hic odorat, ille guſtat: hic ſpirat, intelligit ille, vnus hæc omnia præſtat:* quàm fortiter in Epicureos, quàm certò in omnem gentilitatem?

Deum trinum in perſonis eſſe.

Devm trinvm in personis esse. *Mens autem Deus, vtrinſque ſexus fœcunditate pleniſſimus, vita, & lux, cùm verbo ſuo mentem alteram opificẽ peperit: qui quidẽ Deus ignis, atque ſpiritus numẽ.* Habes hîc Deum mentem fœcundam,

Patrem

Patrem nimirum, habes Verbum, habes Spiritum ab vtroque procedentem, numen, & ignem amorem, quid explicatius diuinæ dicant paginæ? & alibi: *Mens Deus tuus, mentis verò germen, verbum lucens, Dei filius. Mens autem pater Deus: neque enim diſtant ab inuicem; horum vnio vita eſt*, vide hîc mẽtem, mentis germen Verbum, horum vnionem tanquam amorem. *O lux totum illumina, Spiritus Deus, Verbum tuũ me regit ſpiritifer opifex. Tu ſolus es Deus.* quid explicatius dicat Chriſtianus?

DEVS VBIQVE ET IN OMNIBVS. *Deus ſanè expers inuidiæ, per ſingulas mundi particulas vbique ſplendet, atque adeò ſe notum præſtat, vt non intelligere modò, ſed manibus etiam (vt ita dicam) liceat attrectare, neque otioſus eſt Deus: nam otioſa forent omnia: cuncta ſiquidem plena ſunt Deo: otium verò in nullis mundi partibus reperitur*: doctè in Epicurum & in omnes qui cælo Deum claudunt, ne ſcelera videat, ne puniat. *Deũ vbique eſſe.*

DEVM ÆTERNVM ESSE. *Eſt quis factor iſtorum, atque is ingenitus, vt genitis antiquior ſit: genita enim diximus ab alio fluere*: eruditè & verè. *Deum æternũ eſſe.*

Mundum creaſſe. MVNDVM CREASSE. *Vniuerſum mundum verbo, non manibus fabricatus eſt opifex.* Non arbitreris à Dauide mutuatum, aut hunc ab illo veriùs: *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* *Pſal. 32.*

Gignendi facultatẽ à Deo eſſe. CREA IVRIS GIGNENDI FACVLTATEM DEDISSE. *Extemplò Deus verbo ſancto clamauit, Pullulate, adoleſcite, propagate, vniuerſa germina, atque opera mea,* non tã clarè quàm ille: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram?* *Geneſ. 9.*

Hominẽ ad Dei ſimilitudinẽ creatum. HOMINEM AD SIMILITVDINEM SVI CREAVIT. *At pater omnium intellectus, vita, & fulgor exiſtens, hominem ſibi ſimilem procreauit: atque ei tanquã filio ſuo congratulatus eſt: pulcher enim erat, patriſq; ſui ferebat imaginem.* Non minùs diſertè quàm Moſes ipſe: *In die qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum.* *Geneſ. 5.*

Solum Deum bonum eſſe. SOLVM DEVM BONVM ESSE. *Bonum in nullo ponitur, niſi in ſolo Deo: imò ipſum bonum Deus ipſe ſemper. In mundo bonum eſſe non poteſt, ſiquidem mundus congeries eſt malorum:* & alibi: *Bonus ita eſt, vt illi ſoli id competat:* arbitreris Matthæum, Marcum, aut Lucam loqui, *Vnus eſt bonus Deus. Nemo bonus niſi vnus* *Matt. 19. Mar. 10. Luc. 18.*

nus Deus. Nemo bonus niſi ſolus Deus.

CONSERVARE OMNIA, LABIQVE OMNE CREATVM RETRAHENTE DEO MANVM. *Si à quopiam influxionẽ ſuam ille ſubtraxerit, deficiente vita, in mortem corruent vniuerſa:* quid clariùs Thomas, Scotus, Patres, Scriptura? *Conſeruare Deũ res creatas:*

INVISIBILEM HVMANIS OCVLIS DEVM ESSE. De cælo illi verba. *Ibi fulgidum lumen, nullis immiſtum tenebris, ibi nullus ebrietate delirat, ſed omnes ſobrij vigilant, atque mentis oculis, eum qui videri vult acutiùs intuẽtur, is nec auribus percipitur, nec cernitur oculis, neque ſermone profertur: ſola mens eũ proſpicit, ſola mens prædicat.* Quàm ſcitè diſtinxit cæleſtẽ Dei viſionem, & hanc ſæculi huius. De hac Ioannes: *Deum nemo vidit vnquam,* & Dominus ad Moſem: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* De vtraque Paulus: *Serues mãdatũ ſine macula, irreprehẽſibile, vſque in aduentũ* Domini *noſtri Ieſu Chriſti, quẽ ſuis temporibus oſtendet beatus, & ſolus potens Rex regum, & Dominus dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed* *Inuiſibilẽ Deũ eſſe.* *Ioan. 4.* *Exod. 33.* *1. Timo. 6.*

Digitized by Google

Mundum creaſſe. MVNDVM CREASSE. *Vniuerſum mundum verbo, non manibus fabricatus eſt opifex.* Non arbitreris à Dauide mutuatum, aut hunc ab illo veriùs: *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* *Pſal. 32.*

Gignendi facultatẽ à Deo eſſe. CREA IVRIS GIGNENDI FACVLTATEM DEDISSE. *Extemplò Deus verbo ſancto clamauit, Pullulate, adoleſcite, propagate, vniuerſa germina, atque opera mea,* non tã clarè quàm ille: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram?* *Geneſ. 9.*

Hominẽ ad Dei ſimilitudinẽ creatum. HOMINEM AD SIMILITVDINEM SVI CREAVIT. *At pater omnium intellectus, vita, & fulgor exiſtens, hominem ſibi ſimilem procreauit: atque ei tanquã filio ſuo congratulatus eſt: pulcher enim erat, patriſq; ſui ferebat imaginem.* Non minùs disertè quàm Moſes ipſe: *In die qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum.* *Geneſ. 5.*

Solum Deum bonum eſſe. SOLVM DEVM BONVM ESSE. *Bonum in nullo ponitur, niſi in ſolo Deo: imò ipſum bonum Deus ipſe ſemper. In mundo bonum eſſe non poteſt, ſiquidem mundus congeries eſt malorum:* & alibi: *Bonus ita eſt, vt illi ſoli id competat:* arbitreris Matthæum, Marcum, aut Lucam loqui, *Vnus eſt bonus Deus. Nemo bonus niſi vnus* *Matt. 19. Mar. 10. Luc. 18.*

nus

nus Deus. Nemo bonus niſi ſolus Deus.

CONSERVARE OMNIA, LABIQVE OMNE CREATVM RETRAHENTE DEO MANVM. *Si à quopiam influxionẽ ſuam ille ſubtraxerit, deficiente vita, in mortem corruent vniuerſa:* quid clariùs Thomas, Scotus, Patres, Scriptura? *Conſeruare Deũ res creatas:*

INVISIBILEM HVMANIS OCVLIS DEVM ESSE. De cælo illi verba. *Ibi fulgidum lumen, nullis immiſtum tenebris, ibi nullus ebrietate delirat ſed omnes ſobrij vigilant, atque mentis oculis, eum qui videri vult acutiùs intuetur, is nec auribus percipitur, nec cernitur oculis, neque ſermone profertur: ſola mens eũ proſpicit, ſola mens prædicat.* Quàm ſcitè diſtinxit cæleſtẽ Dei viſionem, & hanc ſæculi huius. De hac Ioannes: *Deum nemo vidit vnquam,* & Dominus ad Moſem: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* De vtraque Paulus: *Serues mãdatũ ſine macula, irreprehẽſibile, vſque in aduentũ* Domini *noſtri Ieſu Chriſti, quẽ ſuis temporibus oſtendet beatus, & ſolus potens Rex regum, & Dominus dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed* *Inuiſibilẽ Deũ eſſe.* Ioan. 4. Exod. 33. 1. Timo. 6.

1.Cor.13. *nec videre poteſt*: & alibi: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.*

Inuocadū Dei. Invocandvm Devm, gratias illi habendas, lavdes decantandas, colendvm. *Agamus illi omnes voce gratias, transanti cælos, naturámque creanti. O meæ vires, laudate ipſum, vnum & omne conſonate voluptas mea, omnes animi vires, omnes potentiæ mecum vnà concinite. O vita! ô lux! gratias habeo tibi pater, actus omnium poteſtatum gratias ago tibi Deus, omniū poteſtas actuum: verbum tuum per me te laudet.* Et alio loco hymnum decantat Deo. *Sanctus Deus pater omnium: ſanctus Deus, cuius voluntas à propriis poteſtatibus adimpletur: ſanctus Deus, qui ſuis familiaribus innoteſcit: ſanctus es, qui verba cuncta conſtituiſti, cuius imago eſt omnis natura: ſanctus es, quem nunquam natura creauit: ſanctus es omni poteſtate validior: ſanctus es omni excellentia maior: ſanctus es omni laude melior. Excipe verborum ſacrificia ſancta, ab animo & corde debita tibi manantia. Ineffabilis, ſolo ſilentio prædicandus ab eo, qui fallacias veræ cognitioni contrarias declinauit. Annue, corrobora me: atque huius gratiæ participes effice eos*

Digitized by Google

qui in ignorantia verſantur, cognatione quidem mihi fratres, tibi autem filij. Etenim fidem tibi præſto, teſtimonium de te perhibeo: in vitam ac lumen aſſurgo. Ipſe pater es venerandus. Homo autem tutus, ſanctitate vnà tecum potiri deſiderat, cùm poteſtatem illi omnium arbitriúmque conceſſeris. an immeritò cum magni Dauidis canticis & hymnis hæc conferas?

DEVM NON ESSE CAVSSAM MALORVM. *Ab ipſo profectò factore nihil malum, nihil turpe. Hæ quidem paſſiones ſunt ſequentes corpora: ita rubigo æs, limus animata corpora: at neque faber ferrarius induxit rubiginem, neque animati corporis genitor cœnum ac ſordes: eodémque modo nec Deus etiam malum.* Quanto Chriſtianiùs ſæculi noſtri Nouatoribus, quanto modeſtiùs? cùm non vereâtur, Deum, aſſerere malorum omnium quæ eueniunt cauſſam. Quàm propè deinde accedit ad illud Iacobi: *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat: vnuſquiſque autem tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum.*

Deũ non eſſe malorũ cauſam.

Iacob. 1.

Dæmonē peccato-rū cauſ-ſam eſſe.

DÆMONEM PECCATORVM ET TENTATIONVM CAVSSAM ESSE. *Dæmon ſemina propriæ actionis inſpergit, mēs autem conſperſa ſeminibus, prægnans, inde parit adulteria, ſtupra, homicidia, parricidia, ſacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euerſiones vrbiū, peſtes hominum, & reliqua omnia, quæcunque malorum ſunt opera dæmonum.* Niſi à meliore magiſtro Iacobus ſuxiſſet, ab hoc ſuxiſſe quę recēſui, arbitrari poſſemus.

Dæmonē impellere in peccatum vindictæ ſtudio.

IMPELLERE ILLVM IN PECCATVM, VT GRAVI POST LAPSVM POENA AFFICIAT. *Ab ignaris, improbis, ignauis, inuidis, iniquis, homicidis, impiis procul admodū habito, permittēs eos dæmonis vltoris arbitrio: qui ignis acumen incutiens, ſenſus affligit: magiſq; ad patranda ſcelera armat hominem, vt turpioris culpæ reus acriori ſupplicio ſit obnoxius: eumq; ſine vlla intermiſſione ad inſatiabiles concupiſcentias inflammat: cum eo pugnat in tenebris, peccatū examinat: & ignis impetum in eius cruciatum mirum in modum concitat atque adauget.* etiam inferorum hîc pœnas non obſcurè deſignat.

Animam immortalē eſſe.

ANIMAN IMMORTALEM ESSE. *Vos quibus mentis portio conceſſa eſt, genus*

recognoſc

recognoſcite veſtrum, veſtramq́ naturam immortalem conſiderate : & antè : *Solus homo ex vniuerſis terrenis animantibus, duplicis naturæ cenſetur: mortalis quidem propter corpus, immortalis autem propter hominem ipſum ſubſtantialem : immortalis enim eſt, cunctorúmque arbitrium obtinet : cætera verò viuentia, quæ mortalia ſunt, fato ſubiecta ſunt : humanus animus fato ſuperior eſt :* ita humano arbitrio ſubiicit, & neceſſitatem excludit.

FRVI ILLAM VISIONE DEI. *Tunc autem poterimus mentis oculos eleuare, boniq́ decorem incomprehenſibilem proſpicere, cùm nihil in illo prorſus dixerimus. Eius cognitio diuinum ſilentium eſt, & intenta omnium ſenſuum applicatio : qui id intelligit, nihil poteſt aliud cogitare qui id intuetur, nihil præter ipſum aliud intueri: qui audit, nihil audire poſt ipſum neque corporis etiam ſui membra mouere. Vniuerſis profectò corporis ſenſibus motibusq́ ſolutus, intrepidus agit: nam qui totum circumluſtrat, vndique mentem totam quoque irradiat, animam abſtrahit totam à corpore, totam in eſſentiam denique Dei traſfigurat. Impoſſibile*

Animam poſt hanc vitã frui viſione Dei.

enim animã hominis in corporis fœce iacentem, diuinã aſſumere formam: neque licet etiam boni pulcritudinem contueri, niſi quis antè in Deũ fuerit reformatus, quid clariùs ab omni ſchola dictũ vnquam?

Non poſſe nos Deo & ſæculo ſeruire.

NON POSSE NOS DEO SIMVL SERVIRE ET HVIC SÆCVLO. *Impoſſibile eſt vtriſque ſimul intendere, mortalibus videlicet atque diuinis: electione vnius amittimus alterum quotieſcunque vnius cura remittitur, alterius actus intenditur.* Hinc illud Matthæi: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet: non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Arduum eſt præſentia relinquere, & ad ſuperiora ſe potioraq; conuertere: illa enim quæ oculis cernimus, nimium nos delectant: latentia diffidentiam pariunt: patentia autem mala ſunt: bonum occultum iis qui manifeſtis incumbũt. Niſi tuũ corpus oderis, teipſum amare non poteris: quam primùm verò non te, ſed Deum ipſum dilexeris, mentem protinus conſequeris.* Non abſimile huic illud Domini apud Lucam: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuũ, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, adhuc*

Matth. c.

Luc. 14.

autem

autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Elegans etiam in hoc genere Triſmegiſti, & Chriſtiana planè monitio. *In primis oportet veſtem quam circumfers exuere; indumentum inſcitiæ, prauitatis fundamẽtum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, ſenſitiuũ cadauer, ſepulcrũ circumuertile, domeſticum denique furem: qui dum blanditur, odit; dum odit, inuidet. Huiuſcemodi eſt, quo circum tegeris, vmbraculum inimicum: ad ſeipſum te deorſum raptat, ne fortè conſpiciens veritatis decorem, atque proximum bonum, huius oderis prauitatem; néue huius inſidias, quas in te aſſiduè machinatur, aliquando præſentias: hoc aciem interiorum ſenſuum hebetat & obtundit: craſſa illam materia ſuffocat, abominabili faſtidioſáque ebriat voluptate, ne audias vnquam, néve perſpicias ea quæ iure & audienda ſunt, & in primis inſpicienda:* non arbitreris te Auguſtinum aut Baſilium audire, aut è primorum Patrum numero ſerium monitorem?

VESPERI DEO GRATIAS AGENDAS, ORANDVMQVE DOMINVM. *Aduẽtãte veſpera ſoliſq; radiis occidẽtibus vt Deo gratias egerãt, quiſq; in proprium* *Deo veſperi gratias agẽdas.*

ſe cubile condebat. De nocturnis hiſce precibus habes Dauidem: *memor fui nocte nominis tui Domine. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominũ:* addit lachrymas: *Lauabo per ſingulas noctes lectũ meum, lachrymis ſtratũ meum rigabo:* quomodo amabat, aut dolebat, cuius lectus natabat lachrymis? imò amoris & doloris ſymbola hæ ſunt. Et monet Triſmegiſtus: *Tu igitur in primis piis precibus obſecra Dominum, Patrẽ vnicum, vnum, & à quo vnus, vt ſis illius miſericordia dignus, ſic tandem Deum tantùm percipere poteris, ſi vel vnus dumtaxat illius radius intelligentiæ tuæ benignè refulſerit.* Paulum expreſſiſſe videtur: *In omni ratione & ob-* Philip. 4. *ſecratione, cum gratiarũ actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum:* &, *Oran-* Epheſ. 6. *tes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſecratione:* monemúrque à Domino: *Vigilate &* Mat. 26. *orate vt non intretis in tentationem.*

Angelũ cuſtodem vnicuiq; datum.

SPIRITVM VNICVIQVE CVSTODEM AB IPSO ORTV ASSIGNATVM. Ex Triſmegiſti diſciplinatu Æſculapius: *Vnumquemq; noſtrûm ſtatim ab ortu & animatione dæmones aſſumunt, illo honore*

honore donati, vt ortus miniſterio fungãtur. De ſpiritibus cæleſtibus ſcribit.

Addo hîc illud Æſculapij Triſmegiſti diſcipuli de Deo, omnium creatore, deque æterna generatione: *Omnia procreans ſe procreat ipſum, nec vnquam deſinet, cùm & ipſe deſinere non poſſit: &, quemadmodum Deus finem non habet, ita neque eius procreatio initium aut finem habet:* doctè, verè, Chriſtianè.

VITIVM. Negare non poſſum admiranda Triſmegiſtum rationis lumine & beneficio cõſecutum de Deo, diuiniſque rebus. Vnum fateri cogeris, nullis rationibus Verbi incarnationem doceri poſſe; ſed ſola fide aſtrui, ſola firmari, proponíque credendam mortalibus cæco omnino obtutu: à qua tamen vna ſalutem veſtram pendere fatemini.

VIRTVS. Magnum planè myſterium, & ad quod omniũ obtenebrentur oculi: non nego: quanquam nec obſcurè hoc Triſmegiſtus attigerit, nec huic ſua deſit ratio. Deum eſſe iam probaui, firmauique hoc etiam Philoſophorum placitis: hunc etiam ſummum eſſe bonum: à quo quidquid *Incarnatio Domini rationibus probatur.*

vbique

vbique boni, tanquam à fonte ſuo riuum profluere, tanquam à pede veſtigium, tanquàm à corpore ſuo vmbram: immenſum deinde, nullíſque concludi terminis potentiam illius, nullíſq; ſtringi. Et ſanè infinita ac interminа quadã potentia opus, vt è nihilo, nulláque ſubiacente materia res condantur; cùm inter immane illud primogeniũ chaos, magnúmq; inane & nihil, & rem creatam, immenſitas quædàm interiaceat, nullo ingenio, nullo calamo exprimenda. Iuſtitia etiam illius nullis arctari limitibus poteſt: eo magis, quòd ſimpliciſſimæ naturæ ſit Deus quo fit vt, quidquid illi tribuitur, naturæ illius immenſæ latitudini reſpondeat: pariatur enim Deo quidquid in illo eſt; quod cùm ita ſit, nullum impræmiatum meritum, nullum impunitum tranſire delictum poteſt, ſi ſtare iuſtitia illius debeat, adeóque ſi ſtare Deus: nihil enim detrahere ſimpliciſſimæ & incompoſitæ naturæ potes, niſi euerſam illam funditus velis.

Cùm verò immenſa ſit diuinæ naturæ præſtantia, bonitas immenſa,

immenſa omnia; fit vt quidquid in illam grauius committitur, infinitam quandam malitiam imbibat. Sic etiam inhumanis, è perſonarum dignitate ac magnitudine, criminum non raro magnitudinem metimur: ita grauiter in regia mandata deliquiſſe, regia metiri potẽtia ſolemus. Et verò pœnæ ſceleribus irrogatæ, ſcelerum magnitudinem aperiunt, indicéſque grauitatum illorum ſunt: quòd ſi ergo æternum luendę pœnę ſceleri alicui infligantur, neceſſe ſcelus illud quandam malitiæ infinitatem in ſe claudere; alioqui non reſpõdeant ſceleri pœnę: quod apertè cum diuina nõ tantùm, ſed cum quacumque iuſtitia pugnat, quę æquari vult delictis pœnas, non illa ab his vinci. Ineſt ergo peccato hominis, cui annexę æternùm pœnæ, malitię quędam immenſitas, cui exſoluendę æternitas, quę durationis infinitatem complectitur, neceſſaria foret: huic verò abolẽdę paria merita, quę offenſę diuinę iuſtitię ſatisfacerent, erant quęrenda: quę à nudo homine certis vndique terminis circumſcripto, naſci non poterant:

Deus

Deus autem, qui ſolus infinitus eſt, mereri non poterat: non cadunt in hunc merita, nõ demerita, quæ pręmia circumſpiciunt & ſuperiorem dexteram, nulla autem Deo poteſtas ſuperior, à cuius manu præmia ſperet. Aut ergo omnem omnino hominem diuinorum pręceptorum pręuaricatorem, & primigenij ſceleris heredem, æternis adiudicare pœnis neceſſum erat: durum hoc miſericordiæ infinitæ; aut illum reperire qui ſatisfacere diuinæ iuſtitiæ poſſet: non poterat Deus, non nudus homo. Deus ergo humanam induere naturam, atque illa ſe veſtire debebat, vt pœnis æternis merita reſponderent æterna, quibus aboleri illæ poſſent, quò iuſtitiæ ſatisfieret æternæ: pati vt homo poterat, mereri vt homo, meritáque illius, ex vi coalitæ cum humana diuinæ naturæ, dignationes imbibere infinitas, quibus debitã ſceleribus pœnam infinitam, quia æternam, elueret; & infiniti boni offenſam deleret, & iuſtitiæ omnem numerum expleret. Induere ergo humanam naturam debuit Deus, ſi æternis pœnis paria merita, æternùm ex-
ſoluen

ſoluendis delictis par exſolutio, offenſoq́ue immenſum Deo par reconciliatio reperiri debuit; quò nihil meritò deſiderare iuſtitia poſſet, nihil queri: & infinitæ ſimul diuinæ miſericordiæ exemplum in laudem extaret, nullo æuo finiendum: neque ratio alia reperiri poterat, qua actiones humanæ pretium induerent, quod pœnis eluendis æquari poſſet æternis: quave hominis merita promereri pręmia poſſent æterna, ignibúſque gaudiisq́ue pariari æternis, illis extinguendis, his æternùm conſequendis. Veſtiri ergo debuit Deus homine ſuo, vt dignationem homo ſortiretur debito parem, delictis parem, pœnis pręmiiſque parem.

Quid? quòd Triſmegiſtus myſterium hoc diſertè denunciet? *Quis regenerationis auctor? Dei filius, homo vnus volantate Dei*: vter clariùs, Petrus an Triſmegiſtus? *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam, regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.*

VITIVM. Multa tu pro more tuo

&

& mira, hinc Philoſophorum placitis, inde ab Euangelio ac rationibus mutuata: at nō ſunt hæc ætatis huius: me ſequere, *meæ deliciæ*, *mei lepores*: fruere conceſſis, ad quæ ætas, opes, honores, æqualium inuitant ſtudia: erit cùm hæc Virtutis cana monita cano committas pectori: nunc quis non rideat hanc ante barbam prudentiam? credo & in cunis inter lallandum & mammandū decātandam: quò hæc ſupercilia Catoniana aut Stoïci Senecæ? fruere, dum licet, optatis: veniet tempus cum niueo vertice Triſmegiſtum, Catonem indues Senecámque: decet hanc ætatem maturitas, iuuentutem ioci, riſus, amica inter amicos amicáſque pocula: ſequere præeuntem fidam ætatis huius ducem: vbi grandior ætas iuuentutis amœna ſubtraxerit, Virtutem ſequere per m[illegible] licet: illa tibi tunc gaudia promi[illegible] cœlorum: ego nunc ſæculorum [illegible]tudines: duplici proinde cœlo b[illegible] meo & virtutis: ac meo primùm, inde frueris illius.

Adoleſcēs prodigus totum ſe vitiis tradit.

PRODIGVS. Sequor: & me totum tibi dico ſacróque: nulla dies abeat,

nox

nox nulla voluptatum expers, nulla viduata compare: ite durum curæ genus, ite labores. Quem non inuitent læta hæc? quem non ager ille diffuſus in ſiluis, pictus in pratis, pecoroſus in paſcuis, erectus in montibus, proſtratus in vallibus, neglectus in nemoribus, cultus in hortis, irriguus in fontibus, piſcoſus in fluminibus, ſalebroſus in torrentibus, luxurioſus in ſegetibus, lætus in floribus, gaudioſus in vuis? quem non ſodalium greges, ætas ſine curis, ſine ſolicitudine opes, ſine mœrore damna, ſine liuore menſæ, ſine faſtidio pocula, ſociæ noctes, nullæ viduæ, labor nullus, permiſta poculis muſica, riſus, ioci, veneres? non magnum euocaſſe cœlum terris, migraſſe cœlum terris, & Beatorum more expertem moleſtiarum vitam ducere? Eia anime: fruere dum licet, labitur hæc iuuentus: ſuccedet ætas deſtinata curis: hactenus.

ſteriles tranſmiſimus annos:
Hæc æui mihi prima dies, hæc limina vitæ.

eia anime, indulge genio: & cum Sidonio, dapes cultæ ferculis cultioribus

bus apponantur, ſpument Falerno gemmæ capaces, igne cryſtallis caleant vnguenta glacialibus; ſpargat cœnatio peregrinos naribus odores, & madeſcentes nardo capillos circumfuſa florum ſerta ſiccent.

VIRTVS. *Ah miſer,*
Quanta labores in charybdi,
Digne puer meliore flamma!

Virtutis ſuper adoleſcente prodigo comploratio.

Quò infelix proruis? abiit: cecidit: quanta vis præſentium! miſeram ô nimiûm conditionem humanam! inhamamur perituris, æterna negligimus, futurorum aut ignari, aut pertæſi: fidem fallaci ſæculo abhibemus, derogamus Deo, ſpondet illud peritura, hîc æterna; illud dubia, & magnorum infelici exitu funeſtata, hîc æterna & felici multorũ exitu nobilitata: illud poſt dolos & fraudes periurio ſignatas, poſt rerum publicarum & regnorum excidia, fidem inuenit: non inuenit Deus: ô nimis credulos! tot omnium populorum & ætatum funeſtiſſimis exemplis terremur, & docemur, nec domeſtica deſunt: & adhæreſcimus inaniſſimis ſponſionibus creduli.

Diſcrimina inter diuinas & humanas ſponſiones.

Et

Et quis in ſe non aliquando fallacem fortunæ fidem expertus eſt, toties fruſtrata ſpe præmij? & credimus tamen: ô fatui! diuites illius ſponſiones audimus: ſuccedunt doli: iterantur promiſſa, & iteratur fides: iterum doli, & è dolis mœror: & iterum fides: ô quid agimus? tot inſidiis petiti, tot fallaciis circumuẽti, tot cariſſimorum magnorúmque exemplis docti, fidem admouemus: quis credat? Semel in fraudem duci ab vno poſſe monent ſapientes, nec vltrà: fatuus ſecundam admittet, vitabit prudens. Nos in dies irretimur nouis, & credulitati indulgemus, & ſolis promiſſis diuites, rebus inanes, fortunã veneramur. Quid? quòd ipſa inſidiarũ ſtructrix facilem poſt tot exempla, tot dolos, in fidem animum noſtrum rideat, ſimplicem nimirum columbam, ſerpentis prudentiâ deſtitutam: ô quando faſcias exuemus, induemus virum? quando fatuâ reiectâ credulitate, certioribus adſtipulabimur? ô ſemper pueri! æterna ſpondet Deus: negligimus, cœlorum ſpondet opes, honores, voluptates, omni æuo perennaturas, nullo ponen

ponendas: contemnimus: ſe ſpondet, & omne bonum, & quidquid cælo clauditur: obſurdeſcimus, ſpondet mundus, ſolis mendaciis doliſque diues ſcientia, & horarum ſæpè non multarum, interſparſo vbique veneno in mortem & interitum: & obſequentes inuenit aures; non inuenit Deus, tot ſponſionibus diues, rebus ditior: miſcet blandientibus mūdus amaritudinum integra dolia, & modico melli fellea vaſa, & venenarij calicis oras, tanquam rara niue, pertenui perpluit ſaccaro: & inuolat in hæc iuuentus: miſcet triſtibus gaudiales montes Deus, & leuigat omne durum, & humeros ſupponit oneri: & refugit iuuentus: ita muſcæ ſuccino, candelis, ignibus, pici incumbunt & intereunt: nos muſcis ſtolidiores, ignibus inuoluimur æternis, pice & ſulphure paſcendi: in quo hoc miſerrimum, de æternitate agi, quàm nulla pœnitudo, flagella, ſacci, cineres auellant: de flammis agi æternis, quas nulla lachrymarum flumina reſtinguāt, nulla eluant, nulla molliant: ſera nimirū poſt mortem pœnitentia eſt: irrita cadunt vo-

ta:non profuturus fundirur ſanguis: & nequidquam alto ducuntur corde ſuſpiria,gemitus,preces : nullos hîc in ſalutem complorationibus locus : ſemel periiſſe, æternum eſt.

Hæc ſcimus,& tanquam obuoluto capite,cæcis oculis ruimus in nocitura : monemur periculorũ, præcipitiorum; & quaſi non ſatis ſit ire in damna, vno ſaltu irruimus in illa. Verùm quò hæc clamenta? ad te vota mea, ô Deus:audi pro adoleſcente hoc de penetrali pectoris fuſa : & malis vndique delumbatum, erroribus delaſſatum reduc in viam : euolue oculorum faſcias , quibus miſerum obuoluit mundus,vt,dum damna ſenſerit, pericula viderit,ſaniora cogitet : redde illum tibi: imò redde illum ſibi : neque enim vlli magis ereptus eſt quàm ſibi:audi has viduæ matris pro ſilio preces : non ſoles maternas ſpernere lachrymas , ſoles detergere : ne ſperne meas : piæ ſunt , quia matris pro filio ſunt : nihil ambiunt , vt referant *Neſcitis quid petatis:* teſtantur tantùm filij mortem , vt audiant, *Noli flere, & adoleſcens tibi dico , Surge.*

Preces virtutis ad Deum pro adoleſcente.

PRO

PRODIGVS. *Nunc mihi ſumma licet contingere ſidera plantis.*

Adoleſcẽs totum ſe tradit vitiis, voluptati, comeſſationibus.

nam quid me orbe toto felicius.
Quid me lætius eſt, beatiúſve?
Mihi corolla picta verè ponitur,
Mihi rubens ariſta ſole feruido,
Mihi virente dulcis vua pampino.
Ridete quidquid eſt domi cachinnorũ,
Meæ deliciæ, mei lepores.
Nulla domus tales vnquam contexit amores,
Nullus amor tali coniunxit fœdere amantes,
Coſtum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terq́ focum circum laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmen ridentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
Vinaq́ funduntur prælis eliſa Falernis.
Terq́ lauet noſtras ſpica Ciliſſa comas.
Nihil hîc plebeium, obſcurum nihil.
Nuſquam Temeſea notabis
Æra, ſed argento felix propellitur vnda,
Argentoq́ cadi, labriſq́ nitentibus inſtas

Delicias

Delicias mirata ſuas, & abire recuſat.
Extra autem niueo qui margine cærulus amnis
Viuit, & in fundum ſummo patet omnis abimo:
Cui non ire lacu, pigroſq́ exoluere amictus
Suadeat? hoc mallet naſci Cytherea profundo.
Hîc te perſpicuum meliùs Narciſſe videres.
Quis ſpectacula, quis iocos licentes?
Quis conuiuia? quis dapes inemptas?
Largi flumina quis canat Lyæi?
Iam iam deficio, tuoq́ Baccho
In ſerum trahor ebrius ſoporem.

Omnia hic magna: quę vel ipſum Iouem cogant induere bouem, cygnum, aurum. Et quę Iuno cum his certet? cadat me nouo Paride: eia anime: non ſatis eſt fundere, prodigamus gaudia.

Peragat diem cadentem
Dape, poculis, choreis
Genialis apparatus.

Non hîc ludat in Satyro Iupiter; vide inambulantem: maior homine ęſt.

Quacunque propinquat
Inceſſu fœcundat iter, comitataq́ greſſū

Læta per impreſſas rorat vindemia plantas.

O qualis, cùm fors

Fibula mordaci refugas à pectore veſtes

dente rapuit? qualem te memorem ô magna! Quò tuis anime; ventura cogita.

Forſitan includet craſtina fata dies.

Quid queror infelix? turpes diſcedite curæ.

Sũt apud infernos tot millia formoſarũ.

At non & poſt illa,

Sunt apud infernos tot millia tormentorum?

Excute hoc anime: quò triſtia hęc; nunc vino pellito curas.

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Vſque.
Nec ſemper idem floribus eſt honos
Vernis: nec vno luna rubens ſtupet
Vultu.

Amat alterna Deus: ſed & vitam alternis conceſſit: vt nec lęta ſemper, nec ſemper triſtia: adoleſcentiam lętioribus, ſenectutem triſtioribus finxit: vt natam huic viciſſitudini credas

vtram

vtramque ætatem: ergo cingamus
viridi tempora pampino.

Huc pater ô Lenæe (tuis hîc omnia plena
Muneribus: tibi pampineo grauidus autumno
Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris)
Huc pater ô Lenæe veni, nudataq; muſto
Tinge nouo mecum direptis crura cothurnis.

Sed intus me mei vocant amores, ô fatal ô dies! ô mea! ô quam te memorem? nihil confero: hoc dicam, & ęternùm dicam cùm omnes vndique luſtrauero,

Illa ſuis verbis cogat amare Iouem.

Quid ni audeam cum meo Propertio ire in hęc vota, in has amicas amori ſponſiones?

Tu mihi ſola domus, tu Cynthia ſola parentes,
Omnia tu noſtræ tempora lætitiæ.
Nam ſine te noſtrum non valet ingenium.

Mare mortuum ſit ſine hoc Fauonio, aridiora lignis ſint hęc pectora, ſine hac flamma: quare audeo eodem monitore.

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Verùm quamdiu hîc hęreo? ſequor ſodales, ô nimiùm caros! ô æternùm tales!

Cætera mitto loqui: Deus hæc fortaſſe benigna
Reducet in ſedem vice.

Nunc eſt iocandum,

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus.

Virtutis ſuper adoleſcentis ruina mœror.

VIRTVS. Fallax ô nimiùm vita! inimica Deo voluptas, quò rapis iuuentutem?

Vitæ ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet nox.

& æterna tibi ſpondes, momentorum incertus? quid fidis honoribus? non

Celſo grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq́ ſummos
Fulmina montes?

quid fidis opibus? ô quanto tutiùs Oceano, quàm femineo committes illas mari? nulla Scylla, Charybdis nulla tot ſorbet naufragia, quot muliebres ſcopuli iuuentutis agmina: fugite quicunque portum cogitatis, quicunque naufragia

naufragia timetis: irreſpirabile in hoc femineo oceano profundum eſt.

Verùm, quem hîc video prorumpentem, fronte, oculis, genis, vultu toto deiectum, buxeo quodam lurore perfuſum, macie exeſum, cui in vicem humani coloris pallor ſucceſſit inferni: aut mentiuntur oculi, aut ipſus eſt adoleſcens olim notus: quis ſcit, an non & nunc meus? audiam ſuſpenſo gradu loquentem, ſubiiciámque flammas, excutiam flumina Moſaicis meliora fontibus.

PRODIGVS.

Adoleſcẽtis prodigi ad ſe redeuntis comploratis, lacrimæ.

Hîc licet occultos proferre impunè dolores.
Si modò ſola queant ſaxa tenere fidem.

me miſerum & infelicem! quę me tellus habet? ô patria! ô domus! ô pater! huccine cecidiſſe opes, formã, iuuentam, vires! ô pudor! vbi ſum? vbi priſtinus decor, & amica ſociatio? inops, exul, omnium egenus, etiam panis & aquę, locorum incertus & viarum erro: fortunati porci! ſiliquis vos paſco, impaſtus ipſe! ô me omnium quos vſquam terra tulit, infeliciſſimum!

ſiliquas negari fami pellendę? aquam negari ſiti reſtinguendę? ô quanti in domo patris abundant panibus! quid patrem nomino: vetat verecundia.

Nam mihi, cùm magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flaui ditantes ordine ſulci,
Horrea fœcundis indeficienti a menſis,
Cuiq́; pecus denſo miſcebat agmine colles?

Deſperantis animi ſigna.

patrẽ licuit dicere: nunc vetat pudor: ô quò flectam has habenas? aut quid vltrà ſpei? dira fames! hac mori tali patre natum! ferro caderem: quàm lætus toto illud iugulo exciperem, & beneficium agnoſcerem? etiam crucẽ exoſcularer vt amicam: cara mihi crux & ferrum, audite vota: nunc ignaua cado fame: & ingloria morte peregrinam dehoneſto terram: ſi vitam depoſcerem: negari vita poſſet: mortem depoſco; durum negari mortem: ferrum funemque depoſco, ô quis egenus ferri funiúmque fuit? Quid agis anime? redeo ad patrem: vetat pudor: redeo ad Deum: maior vetat verecundia: deſperabo? auerte Deus: ſperabo? quid mihi ſpei ſuper? finiam hanc

hanc vitam fame, finiam ferro? ſi ſemel caderem, ferendum: at ignes æterni retrahunt amicum mihi ferrum, magis etiam manus, alienâ ſi caderem dexterâ, beatus; durum meâ cadere æternitate propoſita: durius fame? ô quid conſilij hîc capiam conſiliorum inops?

Quàm vellem in gelidis montibus eſſe lapis!
Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vaſti tunderet vnda maris?
Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra eſt.
Omnia nam triſti tempora felle madent.

Virtvs. Me audi, mea iuuentus, audire antè decuerat, priuſquam in propudioſiſſimarum mulierculaꝛum obſcœnam prolapſus conſuetudinem, auita paternáque bona, nunquam ſaturandæ charybdes abliguriuiſſent, nec deſperandus tamen veniæ locus, licet ſerò prope reſpexeris: ſupereſt tamen ſpes aliqua, vt poſt tam ſæua meretricia naufragia, benigniore *Virtutis monita & animus deſperanti additus.*

paterno portu naufragus excipiaris.

PRODIGVS. O amica mihi quondam Virtus, agnoſco vultum. pudet intueri. & quomodo poſt tot ſcelerum volutabra, idoneus præceptorum tuorum auditor ero?

VIRTVS. Depone noxiam verecundiam: ad te redi: intuere cælum, & facilem in preces Deum: nulla ætas ad diſcēdum ſera: nulla flagitia ad emendandum: timeat qui emendationem deſperat: nemo deſperare debet dum vita ſupereſt: nec pudor eſt ad meliora tranſire: ſepone noxium ruborem.

PRODIGVS. Poſt tot monita, tot minas, tot ſcelera, Deum! ego patrem & Deum!

Virtus ad pœnitentiā adoleſcētem inhortatur.

VIRTVS. Facilem: ſi vltro agnoſcis crimen: quid ſupplices retrahis manus? quid faceres in extrema valetudine? medicum conſuleres: quid in iterata inualetudine? medicinam iterares: peccare pudeat: pœnitere non pudeat: periclitari pigeat: liberari non pigeat: at verò nunquam ſuccindendus animus deſperatione eſt: neque delicta vlla tā grauia, quæ pœnitentia verrens & radens, non eluat & mundet: illa te

crimi

criminum fluctibus merſum perlauabit, & in diuinæ clementiæ portum protelabit: rape tantùm occaſionem inopinatæ felicitatis, vt ille tu nihil iam penes Deum, quàm æternorum ignium materia, arbor exinde fias, quæ in foliis & fructibus perénet; quæ nec ignem, nec ſecures ſentiat: pœniteat errorum reperta veritate: pœniteat amaſſe, quæ non amauit Deus.

Nec ſatis eſt priſtinis renuntiaſſe, aſſumenda pœnitentia eſt. Senties hîc peruicaciſſimum animæ ac ſalutis tuæ hoſtem, qui malitiæ ac improbitati ſuæ nunquam otium facit: ac tunc maximè ſæuit, cùm hominem ſentit meliora cogitare: dolet nimirum & ingemiſcit, tot in homine mortis opera diruenda, tot retrò damnationis titulos eradendos: quare obſeruabit, oppugnabit, impedimenta iniiciet: videbit nũ qua poſſit, oculos animumque nouis ſæcularium illicebris irretire. Tu obiice, cum magno Rege, ſaccũ & cinerẽ, precéſq; ieiuniis ale, ieiunia precib⁹: ſolue exinde gratas Deo tuo oculorum nubes, & elue amico illi imbre animum criminibus ſordidatum.

Quid differs publicationem tui, pudoris magis memor quàm ſalutis? honeſta publico gaudent, ſecretum ſcelera poſcunt: aut imitaris illos, qui cùm oculos manúſque medentium vitant, in erubeſcentia ſua pereunt? an intolerandum pudori Domino offenſo ſalutíque prodactæ ſatisfacere? non ſuffundaris errore quo caruiſſe velles: nemo proficiens erubeſcit: nec ſequaris illos, qui ad delinquendum expandunt frontem, ſubducunt ad deprecandum: ſequere quos vides poſt delictum, inlotos, ſordulentos, extra lætitiam verſantes in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, in oris de ieiunio varietate.

Et quis in coccino & Tyrio, pro delictis ſupplicandum ſuaſit? quis in balneis lætioribus hortulani maritimíue ſeceſſus? quis inter altilium enormem ſaginam, inter menſas ferculorum pondere fatiſcentes, inter defæcata ſenectute ſua vina? quid ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi poſſe? Mutæ animæ medicinas agnoſcunt: ceruus ſanè irreuocabiles ferri moras dictamo medetur: hirundo excæcatos pullos

pullos oculare de ſua chelidonia didicit: tu inſtitutam tibi à Deo exhomologeſim præteribis, quæ Babylonium Regem in regna reſtituit? eadem te, ne dubita, reſtituet fortunis, patriæ, parenti: non adduco è plebe, quos ſequaris, ſequere reges. Ezechias veſtem ſcidit, ſaccum induit: & non Achab poſt Nabuthæ cædem in cinere & ieiunio læſuram abduxit à diebus ſuis? iam Dauid, dum potum fletu, panem cinere miſcet, non audit, *Dominus quoque dimiſit peccatum ſuum*? ita dum purpuram docent flere, & cinere tingi, & ſacco veſtiri facilem in ignoſcendum Dei dexteram experti ſunt: imitare: & eadem ſpera.

PRODIGVS. Amplector amica tua conſilia cara mihi ante omnia Virtus, & magni purpuratam Barberini muſam, diſparibus licet numeris rusticus vates, ſuſpiriosis vlulatibus, ſupplicique manu, oculis, prece, Domino decantabo: tu offenſum paca: ego incipio.

Obſequitur Prodigus Virtuti, & preces fundit pœnitentia indices, ab Illuſtriſſ. Barberino mutuatas.

Sepultus alta criminis caligine,
Sæuiſque vinctus nexibus,
Non ſub latebris lapidis alter Lazarus

Claudor, ſed hac circumferor
Defunctus infauſta ſub vrna corporis.
Iam lingua nullos ederet
Sonos, iacerent aridi motu pedes,
Triſteſq́; pallerent genæ,
Humi iacerem, nec viderent lumina
Nitentis aëris iubar:
Sed nec caducum vita corpus deſerat,
Vicem perempti ſpiritus
Chriſti benigna ſupplet indulgentia,
Lutoq́; reddit illito
Oculis ſuam lucem: quid ah, quid intuor
Miſer? tenent me compedes
Laterumq́; verſant ſordidum manus opus;
Et quæ fouet me blandiens
Placido ſinu voluptas, vera Dalila
Stringit minacem forcipem.
Formidoloſis in cauernis ſaltuum
Cubile tellus exhibet:
Solumq́; glandes ſe mihi dant pabulum.
Famis voratas dentibus.
Perire cogor inter immundas ſues.
Supplex reuertar ad Patrem.
Culpam fatebor, & profuſis lacrymis,
Vt cæcus ille vitreis
Siloës aquis ſe diluit, cor diluam
Quod noxa fœdat ſordibus.
Sed heu! catena nexibus mihi pedes

Arctans

Arctans abire me vetat.
Hæc dira vincla tu Deus clementiæ
Solus potes diſſoluere.
Meamq́; ſolus tu potes Aegyptio
Leuare ceruicem iugo.
Non ego tibi Moſen, tuam ſed gratiam
Ducem regreſſus flagito.
Huius per atras noctis vmbras luceat
Ignis, viamq́; dirigat.
Tutamq́; plantis virga pandat orbitam
Rubri per vndas Aequoris,
Et inſequentium cohortes hoſtium,
Equos, & axes obruat.
Sic ipſe liberum metu ſequens iter
Vtinam ſerenum conſpicer
Parentis aſpectũ! ad pedes nã procidam,
Gemensq́; coràm proloquar:
Reuertor ad te pœnitens: per inuias
Abduxit errantem vias
Me culpa: peccaui talentis traditis
Abuſus: ad te pœnitens
Reuertor: ad te, qui tui ſunt muneris,
Hîc fletus, hic meus dolor
Placent: & ô benigne da Pater mihi
Tuas vt ædes incolam,
Tibiq́; iunctus caritatis annulo
Non amplius te deſeram.
Hoc vna, quæ colore ſplendet cærulo,

Praſtare veſtis eſt potis.
Hanc nullus vſus, nulla deterit dies,
Fur nullus aufert:hanc mihi
Si largiare,corde dicam geſtiens,
Coruſca ſordet purpura.

O dies ! quàm lætus mihi orieris,cùm paternis affuſus pedibus , ex illo ore lęſo, ore terribili,conuitiũ expectans, oſculum excepero!cùm vlceroſæ conſcientiæ hiulca vulnera , molli dextera ſua leniuerit peritus animarum medicus!

Prouocat Virtus Prodigũ in lachrymas & preces.

VIRTVS.Bene ſuperare te iubeo: perge,ſupplici qua cœpiſti prece : non denſo verborum agmine , ſed humilium rerum pondere,vt,quantum ſubtraxeris verbis,tãtùm diffundaris ſenſibus:cadant innatantia verba lachrymis,non metu & voto æterni ignis,& regni , ſed ſcelerum odio , & ſupremi offenſi Numinis amore expreſſa : ite lachrymæ torrentes iam factæ & flumina ſuſpiriorum ignibus excocta: pluite deſciſſa oculorum nube lachrymæ , imbres aridæ huic terræ , fontes fœcundate ſterilia hæc arua, zizaniorum ſilua exciſa. Currite lachrymæ, non iam fontes , ſed maria factæ,quæ

peritus

peritus cæleſtis nauclerus ſecundiori vento innauiget. Et ecce foras prodit Pater: aggredere: ego latus claudam, animos addam, vires ſufficiam, labantem erigam.

PRODIGVS. *Pater peccaui in cœlum, & coram te. Iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* *Luc. 15.*

PATER. *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.* *Recipitur à Deo in gratiam prodigus.*

PRODIGVS. O benignam in veniam Dei manum! ô pater! ô Deus! mihi ſtolam primam, innocentiæ ſtolam mihi poſt tot ſcelerum montes? mihi poſt inceſtam vitam, connubialis thori annulum in æterni fœderis teſtationem? mihi menſas, vitulum, epulas; cui indignatio, ſecures: ignes debentur? mihi concentum muſicum totus æternarum flammarum incendia promerito? ô nimiùm pater! quàm nimis verum, *Si poteſt mater obliuiſci filij vteri ſui,* *Depredicat Prodigus benignitatem Dei, & facilem in ignoſcendum dexteram.*

ſui, ego tamen non obliuiſcar tui! ô verè mater, & omni benignior matre mater! quoties voluiſti me *cõgregare ſicut gallina congregat pullos ſuos*, & nolui? quoties vocantem neglexi? contempſi minitantem? quoties perfuſus lachrymis inclamaſti. Quia ſi ſcires & tu, & quidem in hac die quæ ventura ſunt tibi, & ſpreui lachrymas? quoties magnum illud ingemuiſti, *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* o nimiùm mater! quo magis ingratitudiné accuſo meam, & aduoluor pedibus tuis; quos cum illa, cuius laus eſt in Euangelio, lachrymis lauo: ô ſi ſanguine! nec iam crinibus tergo, ſed oſculis: ô ſi corde liceat pro labris, pro crinibus, pro ſpongia! felicem nimirum diem, quo maternis tuis ſubſternar pedibus ſcabellum? quo balnea, oculorum venarúmque imbribus ſtrùam, non pedibus, ſed calceis tuis? fluite mei oculi fontes, currite meæ venæ flumina, calceis dilectæ meæ matris: pluite meæ nubes oculi, fundite maria venæ lauandis balnea calceis benigniſſimæ mihi matris, neque enim nunc patrem dico, ſed matrem: nam & tu ipſe

matris

matris non exhorruiſti nomẽ:ac ni tu prior te vocaſſes matrem, quis te matrem cogitaſſet,qui pater eſſes? ô pater! ô mater! ſemper tu mihi pater, ſemper mater; ſemper ego tibi filius.

Nunc verò quid reponam pro patris affectu, matris vberibus? quid reponam omnium indignus?laudes mutuabor à purpura, ab æternaturo Barberini calamo.

Te rerum Dominum, te Deus Iſaci
Aeternis canimus laudibus inclytum.
Tollit noſtra tuum nomen in æthera
Vox concors, ſolio qui ſuper aureo:
Vt fons perpetuos vndique gloriæ
Diffundis radios, & ſuper Angelos,
Et ſupra Cherubin innumerabiles,
Annorum in ſeries omnia temperans
Supremo reſides lucis in ambitu,
Et terræ latebras inſpicis abditas.
Vos quæ mens Domini condidit, omnia
Aeternam Domini dicite gloriam,
Illum perpetuis tollite laudibus.
Stellantes Dominum dicite vertices:
Aſtrorum Domino plaudite cælites:
Regem cælicolûm dicite ſidera.
Cæleſti Dominum pſallite murmure,
Quæ connexa ſuper ſidera ſunt aquæ:

Laudes Dei & gratiarũ actiones ab Illuſt. Barberino calamo.

Virtus

Virtutes Domini qualibet inclytis
Cantantes Dominum tollite laudibus.
Sol tu qui radiis tempora cingeris,
Tu cuius facies lumine mutuo
Fulget, luna, Dei dicite gloriam.
Ros, imber, pluuiæ, flamina, turbines,
Aeternis Dominum tollite laudibus.
Aeſtas, ignis, hiems, frigora, grandines,
Nix quæ cum glacie in montibus albicat,
Et vos cana gelu gramina roſcido,
Aeternam Domino dicite gloriam.
Noctes cum tenebris, luce dies micans,
Et vos cum leuibus fulgura nubibus,
Aeternis Dominum tollite laudibus.
Tellus cum viridi germine frondium,
Colles frugiferi culmina montium,
Et gemmata nouis prata coloribus,
Vuarumq; grauis vinea fœtibus,
Aeternam Domino dicite gloriam.
Fontani latices, flumina, cærulei
Fluctus, & ſoboles humida piſcium.
Et vos ô volucres ætheris incolæ,
Aeternis Dominum pſallite cantibus.
Vos omnes pecudum cum grege beſtiæ,
Vos proles hominum, vos domus Iſraël,
Et vos qui Dominum ſanguine victimæ
Placitis, Domini dicite gloriam.
Vos quorum pietas, puráq; ſanctitas,

Et

Et recti ſtudium moribus integris
Aeterno Domino reddit amabiles,
Aeternis Dominum tollite laudibus.
Concordis modulo vocis Anania,
Et vos Azaria, & Niſaël intimas
Cantantes Domino reddite gratias.
Nam vos ex Erebi faucibus abſtulit,
Nam vos eripuit mortis ab vnguibus,
Nam vos è mediis eruit ignibus:
Immenſas Domino reddite gratias,
Lætis vnanimes plaudite vocibus,
Lætanti Dominum dicite carmine,
Aeternam Domini dicite gloriam,
Aeternis Dominum tollite laudibus.
Vos, quorum pietas reddit amabiles
Aeternis Domino laudibus inclyto,
Concordes Dominum pſallite cantibus.
Non vt dij reliqui, ſolus in aureo
Sublimis ſolio, ſubdita temporis
Frontem & terga premens, regnat, & infima
Terrarum placido lumine reſpicit.

VIRTVS. Laudo mutuatitium hunc vatem: num quid aliud habes ab eadem incude & malleo? quis credat tam pios, doctos à purpura verſus fluere? felix artifice hoc calamo purpura, fortunatus hac purpura calamus: quid enim

enim beatius purpurâ, cui implexa pietas & eruditio ſtringunt lacertos? quid venuſtius purpurâ,cui intertexta fœlici ſtamine, pectine, arundine, radio,pietas & eruditio, tam doctâ manu, vt altera alteri lumen & decus mutuetur: fortunata mutuatio,eóque maior quo rarior.

PRODIGVS. Habeo & promo,& publici iuris eſſe volo: ignoſce quiſquis hæc premis, & moroſo nimis inuoluis ſilentio: educo in ſolem: ſat tenebris denſiſque noctibus datum: da veniam audaciæ: dabis, ſi dederis amori: & quis veniam neget amori? etiam dum peccat, veniam meretur amor: amor eſt: vt ſatis ſit ad omnem veniam amorem eſſe.

Iterantur Dei laudes in actionem gratiarũ ab eadem purpura.

Terra meas audi voces, audite loquentem
Sidera, concreſcant ſenſus mihi mentis, vt imber,
Et fluat eloquium labiis ceu roſcidus humor,
Ac veluti pluuiæ ſuper herbida paſcua guttæ.
Nam mea cæleſtis Regem vox inuocat aulæ.

Laude

Laude Deum cumulate, Dei ſunt omnia partu
Edita perfecto, calles, quibus ambulat omnes
Iudicium: Deus eſt inſtus ſine labe, fidémque
Intactam ſeruat, polluto ſordibus almo
Nomine natorum venerandum crimine numen
Læſerant: ſoboles diris obnoxia culpis
Hæccine pro meritis reddis maleſana parenti,
Qui te de nihilo produxit in ætheris oras?
Progenies tecum priſcas, annosq́; voluta
Præteritos: quæras ab auis, & patre, tibiq́;
Concordes referent, imum cum Rector Olympi
Reſpiciens orbea natos ſecreuit Adami,
Et poſito varias diuiſit limite gentes,
Natorum iuxta numerum, quos edidit almus
Iſacides: Domini verò pars vnus Iacob,
Illius & populus: ſolis hunc vidit in arnis
Deſertiſque locis trepido terrore pauentem,
Deduxitque manu tanquam nutricula paruum
Infantem, tutatus eum ceu luminis orbes.

Ac

Ac veluti pullos auium regina volatu
Prouocat, & ſequitur circumuolitantibus alis,
Detulit imponens humeris. Deus vnicus illi
Dux fuit atque comes ſemper, Deus externus vllus
Non erat: excelſos illum produxit in agros,
Vt fructus ederet terræ, melliſque liquorem
Rupibus ex altis, ſuccúmque hauriret oliui.
Ex ouibus lactis latices, & ab vbere vaccæ
Butyrum, Baſámque hœdis frueretur & agnis,
Ac flauæ ſegetis granis, albaq́ medulla,
Et bibulas vuæ ſaturaret ſanguine venas.
Dilectus nimiùm populus malè gratus, & excors
Impegit Domino pinguis poſt hordea calces,
Terga Deo vertit, lucis qui tradidit olli
Vſuram, & vitæ ſpirantes indidit auras:
Deſeruit Dominum, galeam clypeúmque ſalutis.

Huic

Huic acrem cultu bilem mouere neſando,
Proh ſcelus! & ſpreto cæleſtis numine regis
Ignotos coluere Deos, & Dæmonis aras.
Dij nuper venêre noui, quos ritus anorum
Neſciit. Aeternum liquiſti perfide Numen,
Cuius opus viuis, cuius tibi dextera vaſtam
Inſeruit paruo cõcluſam corpore mentem.
Aſpexit Dominus, ſtimulis & concitus iræ
Intimuit, fixitque grauem ſub pectore noxam
Natorum, dixitq́ꝫ Mei iubar oris ab illis
Auertam, crimen perpendam mente ſupremum:
Perdita flagitiis, exlex, infidaq́ꝫ proles
Iritant animum falſi mihi numinis aris:
Alter & aſcitus populus mihi prouocet illos,
Qui modò non compos mentis deſpectus ineptit.
Ignis inardeſcet, iuſtaq́ꝫ incenſus ab ira
Excurret rapidis terræ ſub viſcera flammis,
Hauriet & terram viridi cum germine, montes

Fundi

Funditus exuret: turmas acieſq; malorum
In caput illorum cogam, cũctaſq; ſagittas
E pharetra fundam, macie diraq; peribunt
Eſurie, volucrum laniati præda iacebunt,
Letiferis illis ſerpentum dentibus eſcam
Obiiciam, ſæuiq; feris, rabidiſque moloſſis.
Extera vaſtabit gladius, pauor intima carpet.
Lactantes pueros abſumam cæde, ſeneſq;,
Pubẽtes iuuenes ſimul innuptaſq; puellas.
Dixi, Quò fugiunt? vbi ſunt? mea conteret illos
Dextera, nec nomen poſthac memorabitur vſquam.
Sed mea ſe differt inhibens ſententia motum,
Ne forſan tumidis inſultent cordibus hoſtes,
Et dicant, Virtutis opes ſunt omnia noſtra,
Non hæc geſta manu Domini: gens indiga mentis
Prudentes vtinam ſaperent, ſupremáque ſano
Proſpicerent animo! trepidas vt mille cohortes
Vna fuget: niſi quòd vinctas Deus ipſe deorum

Tradidit,

Digitized by Google

Tradidit, addicens immitis more cataſtæ.
Non vt dij reliqui, pictum ceu ſculptile Numen
Iordanis Deus omnipotens in ſæcula viuit,
Noſter & eſt iudex hoſtis: ceu vinea ſacris
In Sodomæ campis illorum vinea fundit
Felle graues vuas, & amara bile racemos,
Fel colubri ſpecie vini, ſaniemq́ꝫ draconum.
Aſpidis & virus nullis ſanabile ſuccis.
Creditis hæc forſan vobis ignota latere.
Nónne meos inter theſauros condita ſeruo?
Me decet vltrices in tempore ſumere pœnas.
Voſq́ꝫ manet certo ſternat qui funere lapſus.
Exitij tempus pernicibus aduolat alis.
Iſacides populum peruerſo corde rebellem
Puniet, & ſeruis Dominus miſerebitur vltro.
Aſpiciet languere manum ſub pondere belli,
Atque fame abſumi reliquos munimine clauſos.
Et dicent, Veniant, & opem in diſcrimine vobis
Numina veſtra ferunt, quorum vos robore freti

M

Militiæ nomen dederatis, & arma tuliſtis.
Adueniant; vbi ſunt, quorum dedit hoſtia vobis
Feſta cibos, dulcemq́ meri libamina potum?
Ecce ego ſum ſolus, nullus Deus omnia nutu
Temperat æternum regnans me præter in æuum,
Mors & vita mihi parent, ſum vulneris auctor.
Non oberit quiſquam, libeat ſi ferre ſalutem.
Ecce manũ tollam dicens, In ſæcula viuo.
Exacuam gladium flammantis fulguris inſtar,
Iudicium arripiens directo cuſpidis ictu,
Dextra meos vindex arcum protendet in hoſtes,
Ebria roranti ſtillabunt tela cruore,
Et gladius carnes hoſtili dente vorabit,
Nudati primùm capitis, captiuaq́ cædet
Agmina, quæ vinctis nexum ſenſere lacertis.
Illius populum gentes laudate, ſuorum
Nam meritas ſumet iuſto pro ſanguine pœnas,
Et debellatos vindicta comprimet hoſtes,

Præſentiq́

Digitized by Google

Præſentiq; ſuam defendet Numine gentem.

VIRTVS. Beatum te qui excuſſis dæmonum compedibus, mundi vinculis, calcata voluptate è duriſſima te ſeruitute eripuiſti: magis etiam è magni Barberini calamo. *Damnatur voluptas & ſæculi huius magna Illuſtriſſ. Barberini verſu.*

At nunc videris iure beatior,
Qui pura ſolùm gaudia cælitum
Reris: quid in terris rotamus
Siſyphio lapidem labore?
Nil vſque gratum, nec ſatias faui
Dulcem liquorem deficit, abditam
In rebus humanis vel ipſa
Miſcet amaritiem voluptas.
Inuecta curru candida ſi præit
Aurora, ſolis ſubſequitur iubar
Nox atra: naſcentem tuere
Quæ vario micat ore lunam.
Pars vna lumen fundit, & altera
Vmbrata mœret, nec vaga terminos
Vmbræ coarctat, lux coruſcum
Exerat, aut retrahat nitorem.
Fruſtra quietem quærimus anxij,
Dum terra cæli nos tenet exules.
Quid cœna regali paratu
Prodiga Sidoniuſq; murex,
Quid ſtructa prodeſt marmore regia?

Heu quidquid auri congerit India,
Quod nuper aſciuit cupitum,
Mox animus fugiet peroſus.
Quem ſæpè victis hoſtibus inclyto
Romam triumpho viderat inuehi
Auroq́ præfulgentem & oſtro;
Dalmaticis Dioclen in hortis,
Faſtidientem mœnia Romuli
Vidit iuuentus Martia Tibridis,
Mirata priuatum ſuperbos
Imperij poſuiſſe faſces.

Cæleſtiū gaudia ſuper peccatore reſipiſcēte.

Magis etiam admirabundum ſtetit cælum, cùm te vidit inter tot ſæculi procellas tot vndique ruentibus ventis, inter noctium tenebras in terrorem fuſas, inter minitantes hîc cælo, ibi vado dubios fluctus, inter fatua oceani huius murmura latè ſæuientia tenuiſſe portum: & verba Domini ſunt: *Ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Docet hoc etiam exemplo in parabola paſtoris & mulieris, deperditę ouis & drachmæ O ſi hæc cogitent quotquot à ſemita aberrant! at nunc Illuſtriſſimo teſte Barberino,

Luc. 15.

Pars hominis deducta putri telluris ab aluo,
Cæliq́

Cœliq́ semen ſpiritus,
Dum ſociis hærent vincti compagibus, arma
Iugi duello conſerunt.
Quiſquis ab illecebris terræ ſe lumine mentis
Conuertit ad cæleſtia,
Opprimit Antæi robur, ſuperatq́ lacertis
Alter dolos Tyrinthius.
Filia Caſſiopes nudato corpore, ſæuis
Obiecta ceti faucibus,
Dum gemit, & cœlum lacrymanti ſuſpicit ore,
Adeſſe cernit Perſea,
Seq́ neci raptam: dono mox Palladis inter
Coruſca fulget ſidera.
Herbida dum comites inter per prata vagatur,
Floreſq́ prona colligit?
Solis ab aſpectu Plutonis rapta quadrigis
Orcum ſubit Proſerpina.
Quis neget è nebulis radium ſplendeſcere lucis?
Non ſacra ſolùm pagina
Deſiectis ducit tenebris Virtutis ad ædem?
Sed rima lucis ignea,

Felicitas illorum qui calcato ſæculo Deo ſe ſacrãt ab Illuſtriſſimi Barberini manu.

Digitized by Google

Pieriis vmbras inter ſe prodit ab antris
Regens pedum veſtigia.
Afflait, & variis riuis cæleſtis in omnes
Mentes redundat veritas.
Hac duce, cui decorant diuino munere palmas
Verenda IESV *ſtigmata,*
Franciſcus nudis pedibus viliq; lacerna
Indutus, abdito in ſpecu,
Omnia quæ blandâ proponit fronte voluptas,
Vanumq; faſtum deſpicit:
Commoda non optat vitæ, ſub graminis herba
Anguem latere conſcius.
Languida feſſus humi declinat membra ſopori,
Famemq; pomis eximit,
Fonte ſitim ſedat, neq; nectaris expetit hauſtum;
Mentiq; corpus ſubiugans,
Pauperiem colit, & lamnis hanc diuitis auri
Gemmiſq; præfert Indicis:
Ac veluti Samſon dulces ex ore perempti
Leonis accipit fauos.
Nam quali mentem paſcit dulcedine, donec

Intentus

Digitized by Google

Intentus aſtra reſpicit,
Et noctu vigilãs animi ſublatus ab alis,
Choris beatis intereſt!

PRODIGVS. O magnum ſemper Franciſcum: ſiue dum patriâ ſpoliatur veſte, & innocentiâ integitur, ſiue dum nouus Romano orbi Atlas humeros Laterano ſubiicit; ſiue dum Saracenum innoxius prouocat ferrum; ſiue dum nouo terris exemplo lætos cum paupertate ducit hymenæos; ſiue dum delinquentis animæ, & cælo raptæ ſecutus veſtigia, cælum inter terrámque medius pendulum librat corpus; ſiue dum cęleſti muſica excitus cęlorum innerrat choris: ſiue denique dum manus, pedes, latera terebrantur votiuis de cruce pendentis amoris vulneribus: ſemper magnum: & quod mireris, maiorem quia minorem: Verùm quàm redolent, amica mihi Virtus, quos dediſti verſus purpuram? purpureo natare flumine purpurei videntur verſus, credas purpureas conchas purpureo innatare oceano.

S. Franciſci laudes.

VIRTVS. Eſt vt dicis purpureos dedi verſus: & quia delectari te his

video, addo ab eadem purpura & patre, quibus iter cęlo ſternit.

Contemptus ſęculi ab Illuſtriſſ. Barberini dextra.

Summi decora dum ſpecie boni
Hinc inde raptas diſtrahit inquies
Mortalium mentes, negatum
Struxit inter maleſana frontem
Turris minacem nubibus inferens:
Mox prępotentis vi ſapientię
Confuſa diuerſum ſonante
Eloquio ſtupidos repente
Hęrere fabros vidit, & irritis
Cęmenta votis vndique congeri.
Tunc fama protendens volatum
Quà celebris rigat vnda Cirrham,
Sub fronde lauri nuncia ſubſtitit.
Hinc fabuloſis vera coloribus
Depicta promens, in Tonantis
Imperium Iouis irruentes
Inſanienti robore Pelion
Titanas Oſſę imponere detulit,
Auſúque conatos proteruo
Scandere ſidereas ad arces.
Aſt interemptos vindice fulminis
Flamma, ſolutis in cinerem artubus
Terroris exemplum ſuperbis,
Ludibrium iacuiſſe ventis.

Purpura. opum, honorum, à

Proh quanta denſis nox tenebris premit
Mortale pectus! diuitis hunc Tagi

Non

Digitized by Google

Non explet amnis, fartus ille — *purpura contemptus.*
Deliciis animum fatigat.
Hunc forma curis cingit inanibus.
Quot pulcra fuco purpura faſcinat?
Quid? nónne poſtquam quiſque montes
Montibus intulerit, fatiſcet?
Tutum beatæ ſortis iter pede
Venaris? ævi deſpice commoda
Præſentis, & clauſis fugaces
Illecebras oculis tuere.
Sopita ſomno lumina clauſerat,
Cùm vidit olim filius Iſaci,
Ut ſcala ſe tollens ab imo
Aligerûm via trita plantis
Suprema cæli ſidera tangeret.
Huc nónne curru raptus ab igneo
Abiecit Elias amictum;
Pone graues animi tumultus.
Huc pura mentis lumina dirige, — *Bellarmini ſcala.*
Scalam recludit rebus in omnibus
Pulſis Belarminus tenebris
Quæ gradibus ſuper aſtra tendit.
Dux ille per veſtigia Caroli — *S. Caroli Borromia veneratio.*
Cui vota fundit, quem decus Inſubrum
Miratur orbis, quem Senatus
Roma ſacrum veneratur aſtrum.

Prodigvs. Hanc ſcalam concede Deus, qua iungar tibi inenoda-

bili nexu,magni purpurati Caroli veſtigiis inhærendo:tu verò mea Virtus æternùm hoc claude latus.

Te ſpectem ſuprema mihi cùm venerit hora,
Et teneam moriens deficiente manu.

Cumque auſpiciis ductúque tuo reſtitutus Deo, parenti meo, mihíque ſim,exſpectabo à te futurę documenta vitæ, quibus per hæc maria ad æternę felicitatis portum felix nauclerus nauigem:multa enim dubiam mihi mentem tenent, nec ſatisfacere mihimet poſſum:neque certius te quiſquam me docebit: ſed & vereor ne in hoc vitæ genere plurima occurrant,ad quæ necdum firmaui pectus, nec habeo quid reponam.

VIRTVS. Deeſſe tam iuſta petenti nec volo,nec poſſum: tu tantùm fidenter quidquid anxium dubiúmque te tenet, explica, ego reſpondebo.

PRODIGVS. Quare permittit amantiſſimus bonorum Deus, aduerſis ſuos premi? quis amans amatum, quis pater filium durioribus obiicit?

VIRTVS. Malo te hoc Stoici,quàm meis verbis diſcere: vide quàm Chriſtianè:

ſtianè: *Cùm videris bonos viros accep-toſq́; diis, laborare, ſudare, per ardua aſcendere, malos autem laſciuire, & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modeſtia delectari, vernularum licentia: illos diſciplina triſtiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat: bonum virũ in deliciis non habet, experitur, indurat, ſibi illum præparat.* Nec minùs doctè & eleganter alibi: *Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi ſudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt: matres fouere ſinu, continere in vmbra volunt, nunquam flere, nunquam triſtari. Patrum habet Deus aduerſus bonos animum, & illos fortiter amat: operibus, doloribus ac damnis exagitat, vt verum robur colligant. Non fert vllũ ictum illæſa felicitas: at vbi aſſidua fuit cum incommodis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit.* Et clarè ad quæſtionem à te propoſitam: *Quid mirum ſi durè generoſos ſpiritus Deus tentat? Nunquam virtutis molle documentum eſt: verberat nos, & lacerat fortuna? patiamur: non eſt ſæuitia certamen eſt: quo ſæpiùs adiuerimus, fortiores erimus. Solidiſſima pars eſt corporis quam frequens vſus agitauit: præbendi for-*

Cur Deus bonos obruat aduerſis: rationes è Seneca.

tunæ ſumus, vt contra ipſam ab ipſa duremur, ac paulatim nos ſibi pares faciat: cõtemptum periculorum aſſiduitas perclitãdi dabit. Sic ſunt nautis corpora ferendo mari dura, agricolis manus tritæ, ad excutienda tela militares lacerti valent, agilia ſunt membra curſoribus. Id in vnoquoque ſolidiſſimũ eſt quod exercuit: quamlibet viã iumenta patiuntur, quorum durata in aſpera vngula eſt: in molli paluſtrią́ paſcuo ſaginata, citò ſubteruntur, & fortior miles ex confragoſo venit, ſegnior eſt vrbanus & verna, nullum laborem recuſant manus quæ ad arma ab aratro transferuntur, in primo deficit puluere ille vnctus & nitidus. Et quis paulò generoſior nõ prçlegat ardua mollibus? ex illis laudẽ, ex his ſperare nullam poteſt: quis etiam virorum, non malit ſomnum ſuum claſſico, quàm ſymphonia rumpi?

Quare durius Deus probos habet, mollius improbos, Senecæ ſententiam.

PRODIGVS. Quare durioribus fatigat ſuos Deus, improbos verò molliùs habet?

VIRTVS. Pergo verbis vti Senecæ: *Quid porro? non eſt iniquum, fortes viros arma ſumere, in caſtris pernoctare, & pro vallo obligatis ſtare vulneribus: interim in vrbe ſecuros eſſe profeſſos impudicitiam: labor optimos citat: & quare in*

caſtris periculoſiſſima fortiſſimis imperantur: addit: *Hanc rationem dij ſequuntur in bonis viris, quàm in diſcipulis ſuis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior ſpes eſt.*

Quid? quòd generoſiſſimus quiſque vltrò ambiat ardua, & gaudeat aſperioribus? exemplo docet: *Athletæ fortiſſimos prouocant: & ſi non inueniunt ſingulos pares, pluribus ſe ſimul obiiciunt: marcet ſine aduerſario virtus: tunc apparet quanta ſit, cùm quid poſſit, patientia oſtendit: quid? quòd pudeat congredi cum homine vincere parato? ignominiam iudicat gladiator, cùm inferiori componitur, & ſcit illum ſine gloria vinci, qui ſine periculo vincitur: idem facit fortuna, fortiſſimos ſibi pares quærit: quoſdam faſtidio tranſit: contumaciſſimum quemque & rectiſſimũ aggreditur, aduerſus quẽ vim ſuã intendat.* Et fortiter alibi: *Proſpera in plebẽ, ac vilia ingenia deueniunt: at calamitates terroresq́ ſub iugum mittere, proprium magni viri eſt: gaudentq́ viri magni aduerſis, non aliter quàm fortes milites bellis: auida enim periculi virtus, & quò tendat, non quid paſſura ſit cogitat, quoniã & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt.*

Verè

Verè etiã & generoſè: *Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen adferre, qui nunquam ſugillatus eſt: ille qui fudit ſanguinem ſuum, cuius dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus aduerſariũ toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit, contumacior ſurrexit: cum magna ſpe deſcendit ad pugnam.* Amoris ergo ſignum in Deo, durioribus hîc nos exercet, cùm per aſpera & difficutatibus implexa nos ſibi & cœlo parat gloriæ & fruitionĩ diuinæ, fiduciæ etiam magnæ ſignum & opinionis de nobis magnæ, virtutiſque & animi noſtri, cùm arduis nos opponit, diffidentiæ, cum mollibus.

PRODIGVS. Non ſeueritatis aliquid habere videtur ſi aduerſis prematur vir bonus?

Ab amore an à ſeueritate proficiſcatur. cùm durius bonos Deus habet: è Seneca libris.

VIRTVS. Non magis quàm pati militem, diſcipulum, filium, athletam: quid ſi euicero, ne pati quidem virum bonum? pergam vti Senecæ verbis: *Nihil accidere bono viro mali poteſt: non miſcentur contraria: quemadmodum tot amnes, tãtùm ſupernè deiectorũ imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant ſaporem maris, nec remittunt quidem:*

dem: ita aduerſarum impetus rerum viri fortis non vertit animum: manet in ſtatu ſuo, & quidquid euenit, in ſuum colorem trahit. Eſt enim omnibus externis potētior. Nec hîc dico, Non ſenti illa, ſed vincit, & alioqui quietus contra incurrentia attollitur, omniaq́ aduerſa exercitationes putat. Iam quid Chriſtianiùs de Deo dici poteſt? *Omnia mala ab illis remouet: ſcelera & flagitia, & cogitationes improbas, & auida conſilia, & libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam. Numquid hoc quoque à Deo aliquis exigat, vt bonorum virorum etiam ſarcinas ſeruet? remittunt hanc ipſi Deo curam, & externa contemnunt:* nam quæ ab imperitis inter mala numerantur, mala non ſunt: fortunis exui, inglorium hîc viuere, deliciis excludi, inualetudinem pati: quę vltrò plurimi ambiuerũt. Et non prudentis eſt, hîc illis exui, vt ęternùm induaris; hîc ſpoliari, vt æternum donetis? vtrumque nec Dei Filius poſſedit: quid ſperamus mortales? aut errauit ille, qui ingloriã vitam, & omnium indigam & voluptatum expertem hîc duxit, vt æternùm frueretur æternis? errarunt tot Sanctorum millia,

lia,qui illum ſecuti vltrò ſe difficultatibus,egeſtati,ingloriæ vitæ,milléque corporis incommodis obiecerunt, vt cum Chriſto ſuo regnis potirentur æternis? aut non veriùs erramus qui vtrumque ſperamus; hîc opes, gloriam, delicias, & in altera vita: aliud nos magnus Abrahamus in Epulone & Lazaro docet.

PRODIGVS. Non tibi tamen magni felicéſque videntur, quos opibus, honoribus,purpura beatos prædicamus? aut in qua re alia dum viuimus beatitudo ponenda & nominis decus?

Beatitudinem in opibus & honoribus non cõſiſtere, Seneca docet.

VIRTVS. Non diſcedam à Senecæ verbis, Vt Chriſtianus audias quid ſequi debeas. *Si nobis animum boni viri liceret inſpicere, ô quàm pulcram faciem, quàm ſanctam, quàm ex magnifico placidóque fulgentem videremus? hinc iuſtitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiáque lucentibus: præter has, frugalitas, continentia, tollerantia, libertas, comitasq́ue. Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret. Si quis hanc faciem viderit altioremq́ue quàm cerni inter humana conſueuit, nonne velut Numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, & vt fas ſit vidiſſe tacitus precetur?* Hîc ille

beatus, felix, magnúſque Philoſopho noſtro eſt, ſed & magnus Euangelio & cælo eſſet.

Vis nunc quid de iis ſentiat, quæ ſæculo magna admirandáque videntur? *Miramur parietes tenui marmore inductos, cùm ſciamus quale ſit quod abſconditur oculis noſtris. Et cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantũ parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium iſtorum quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt. Inſpice, & diſces ſub iſta tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat. Hæc ipſa res tot magiſtratus tot iudices detinetque magiſtratus & iudices facit, pecunia: quæ ex quo in honore eſſe cœpit, verus rerum honor cecidit: mercatoréſq; & venales inuicem facti, quærimus, non quale, ſed quid, ſed quanti, ad mercedem pij ſumus, ad mercedem impij. Honeſta, quamdiu aliqua illis ſpes ineſt, ſequimur: in contrarium tranſituri ſi plus ſcelera promittant.* Et pulchrè alibi: *Iſti quos pro felicibus aſpicitis, ſi non qua occurrunt, ſed qua latent videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes,*

lia,qui illum ſecuti vltrò ſe difficultatibus,egeſtati,ingloriæ vitæ,milléque corporis incommodis obiecerunt, vt cum Chriſto ſuo regnis potirentur æternis? aut non veriùs erramus qui vtrumque ſperamus; hîc opes, gloriam, delicias, & in altera vita: aliud nos magnus Abrahamus in Epulone & Lazaro docet.

PRODIGVS. Non tibi tamen magni felicéſque videntur, quos opibus, honoribus,purpura beatos prædicamus? aut in qua re alia dum viuimus beatitudo ponenda & nominis decus?

Beatitudinem in opibus & honoribus non cõſiſtere, Seneca docet.

VIRTVS. Non diſcedam à Senecæ verbis, Vt Chriſtianus audias quid ſequi debeas. *Si nobis animum boni viri liceret inſpicere, ô quàm pulcram faciem, quàm ſanctam, quàm ex magnifico placidóque fulgentem videremus? hinc iuſtitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiáque lucentibus: præter has, frugalitas, continentia, tollerantia, libertas, comitasq́;. Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret. Si quis hanc faciem viderit altioremq́; quàm cerni inter humana conſueuit, nonne velut Numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, & vt fas ſit vidiſſe tacitus precetur?* Hîc ille

Digitized by Google

beatus, felix, magnúſque Philoſopho noſtro eſt, ſed & magnus Euangelio & cælo eſſet.

Vis nunc quid de iis ſentiat, quæ ſæculo magna admirandáque videntur? *Miramur parietes tenui marmore inductos, cùm ſciamus quale ſit quod abſconditur oculis noſtris. Et cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantū parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium iſtorum quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt. Inſpice, & diſces ſub iſta tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat. Hæc ipſa res tot magiſtratus tot iudices detinetque magiſtratus & iudices facit, pecunia: quæ ex quo in honore eſſe cœpit, verus rerum honor cecidit: mercatoréſq; & venales inuicem facti, quærimus, non quale, ſed quid, ſed quanti, ad mercedem pij ſumus, ad mercedem impij. Honeſta, quamdiu aliqua illis ſpes ineſt, ſequimur: in contrarium tranſituri ſi plus ſcelera promittant.* Et pulchrè alibi: *Iſti quos pro felicibus aſpicitis, ſi non qua occurrunt, ſed qua latent videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes,*

turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas: cruſta eſt. Ita dum illis licet ſtare, & ad arbitriũ ſuum oſtendi, nitent, & imponunt: cùm aliquid incidit, quod diſturbet ac detegat, tunc apparet, quantum altæ ac veræ fœditatis alienus ſplendor abſconderit: quòd ſi tamen diuitias, honores, commoda amas, maximas ſpopondit Deus: credis? quid ſæculi huius cogitas? non credis? impius in Deum es: & quid quęris perennaturas an fugitiuas? illas? cęlo reconduntur, ignorant terras: ſed & animis clauduntur. Aſſentitur Philoſophus: *Scias alibi poſitas eſſe diuitias, quàm quò congeruntur: animus impleri debet, non arca: nam illa quæ imperitorum verberant oculos*, ſcit prudens cœno immerſa, è quo *ſecreuit cupiditas & effodit:* ita ſi abeſſent pericula, ſors & pretium, quod ferè eruentium ac parantium damno creſcit.

Quid in homine maximè laudandum, Seneca oſtendit.

PRODIGVS. Quid ergo in homine laudandum cenſes?

VIRTVS. Libenter dum licet Philoſophi reſpondeo verbis: *In homine id laudandum quod ipſius eſt: familiam formoſam*

menſam habet, domum pulcram, multum ſerit, multum fœnerat: nihil horum in ipſo eſt: ſed circa ipſum: lauda in ipſo quod nec eripi poteſt, nec dari, quod proprium hominis eſt: quæris quid ſit? animus, & ratio in anima perfecta. Nam quid ſtultius eſt quàm laudare in homine aliena? quid eo dementius qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri poſſunt? vitem laudamus ſi fructu palmites oneret, ſi ipſa ad terram pondere eorum quæ tulit, adminicula deducat: nam quis huic illam præferat vitem, cui aureæ vuæ, aurea folia dependent? propria virtus in vitæ fertilitas: in homine animus. Vis ſcire quis hic ſit animus, & ad quæ feratur accipe ab eodem calamo. *Habet hoc primum in ſe generoſus animus, quòd concitatur ab honeſta. Neminem excelſi ingenij virum humilia delectāt & ſordida, magnaq; rerum ſpecies ad ſe vocat & extollit: quemadmōdum flamma ſurgit in rectum, iacere ac deprimi non poteſt, non magis quàm quieſcere: ita noſter animus in motu eſt: eo mobilior ac actuoſior, quò vehemētior fuerit. Felix qui ad meliora hunc impetum dedit: ponet ſe extra ius ditionemq; fortunæ, ſecūda tēperabit, aduerſa cōminuet, & aliis*

admiran

admiranda, deſpiciet. Magni animi eſt, magna cõtẽnere, & mediocria malle quam nimia: illa enim vtilia vitaliaq́ ſũt: at hęc, eò quòd ſuperfluunt, nocẽt: ſic ſegetẽ nimia ſternit vbertas: ſic rami onere franguntur: ſic ad maturitatem nõ peruenit nimia fœcunditas: idem animis quoque euenit, quos immoderata fœlicitas rumpit: quibus non tantùm in aliorum iniuriam, ſed & in ſuam vtuntur. Eleganter & verè. Habe hîc etiam aliquid ab Epicteto. Monet is more ſuo: *Nullâ alienâ præſtãtiâ efferaris animo. Si equus ſemet iactãs diceret, Sum pulcher: ferendum eſſet: tu verò cùm inſolenter gloriaris, te pulchrum equum habere, ſcito equo te bono ſuperbire quid ergo eſt tuum? vſus viſorum. Quapropter cùm in vſu viſorum ita moratus fueris, quemadmodũ natura poſtulat, tum efferêris: tum enim aliquo tuo bono lætaberis.*

Epicteti ſentẽtia.

PRODIGVS. Quæ ſunt ſigna animi in virtute proficientis?

Signa proficientis anim. in virtute, ab Epicteto.

VIRTVS. Ab Epicteto diſce. *Signa proficientis ſunt, neminem, reprehendere, neminem laudare, neminem culpare, neminẽ accuſare: nihil de ſeipſo prædicare, quaſi aliquid ſit, aut aliquid ſciat. Cùm in aliqua re impeditus fuerit, ac prohibitus*

ſeipſum

Digitized by Google

ſeipſum accuſat. Si ab aliquo laudatur, ſecum ipſe deridet laudatorem: ſi reprehenditur, non defendit ſe: ſed ritu infirmorum circuit, metuens ne ſtatum illum conuellat, priuſquã is confirmetur. Omne deſiderium à ſe dependens habet: aduerſationem ad ea ſola quæ naturæ eorum repugnant, quæ nobis parent, tranſtulit; Appetitione ad omnia remiſſe vtitur: ſiue ſtolidus, ſiue indoctus habeatur, non curat. Denique vt inimicum & inſidiatorem ſeipſum obſeruat?

PRODIGVS. Quis liber.

VIRTVS. Qui nulli ſeruit: non opibus; non honoribus, nõ voluptati: quòd ſi hæc ſe obtulerint vltrò, ac quaſi dormienti in ſinũ inuolauerint, memento Epicteti: *Ita in hac vita eſſe verſandum, tanquam in conuiuio. Si quid circumferendo ad te peruenerit, porrecta manu partem modeſtè capito. Præterit? ne detine: nondum adeſt? ne longè appetitum extendito: ſed exſpecta, dum ad te perlatum fuerit. Sic erga liberos, ſic erga coniugem, ſic erga magiſtratus, ſic erga diuitias ſi affectus fueris, aliquãdo dignus eris conuiuio Deorum. At verò ſi oblata etiam non acceperis, ſed deſpexeris: non conuiuia Deorum modò, ſed & imperij conſors eris.* *In quo conſiſtat libertas, Epictetus tradi.*

Quàm

Quàm Chriſtianè nos inducit in opum, honorum, voluptatum contemptum? Pergit docere: *Quiſquis liber eſſe volet, ne capiat quidquam, neque aduerſetur eorum, quæ penes alios ſunt. Sin minùs, ſeruire neceſſe erit.* Fortiùs etiam & generoſiùs: *Ad libertatem via vnica eſt, eorum quæ in poteſtate noſtra non ſunt, contemptio.* Contemnenda ergo fortunæ bona, quæ arbitrij alterius ſunt: iudicia aliorum, quæ in manu noſtra non ſunt: quidquid denique eripi poteſt contemnendum: quin & vita, cuius, etiam in Regibus, factus eſt dominus, quiſquis contempſit ſuam, ſi libertatem amamus: quàm ſi conſtituamus in ſola fruitione bonorum noſtrorum, quæ nec eripi à quoquam nec minui poſſunt, liberrimi erimus.

PRODIGVS. Quibus modis ita vincenda, animúſque ad moderationem deducendus?

Modi iræ moderandi.

VIRTVS. Iterum ad Epictetum decurro. A paruis auſpicare. *Oleum effunditur? villum ſurripitur? ſubiice tibi: Tanti venit tranquillitas, tanti cõſtantia, gratis autem nihil acquiritur. Cùm verò puerũ vocas, fieri poſſe cogita, vt præſto nõ ſit:*

ſit: & vt ſit, nihil agat ex animi tui ſententia. Neque verò ei tam bene ſit, vt tuarũ perturbationũ habeat ille poteſtatem. Intuere deinde res propitiùs quæ te ad indignationem iramque prouocãt: vitrum filius aut ſeruulus fregit, puero elapſa res eſt? tibi non potuit idem euenire? non euenit aliquando? dona filio & ſeruulo, quod tibi facies ſi illo loco te conſtitueris, quæ quo ille eſt cui iraſceris: fictilis olla fracta eſt? non eſſet, ſi ferrea fuiſſet: negligentiâ alterius id euenit? quoties obrepit illa tibi? tabula colliſa eſt? ænea ſi fuiſſet, damnorum immunis eſſes: at improuida alterius incuria damnum datum eſt: te cogita quàm non leui ſæpè improuidentia labaris.

Villa incendio abſumpta eſt: fortuitò id ſæuiit, an alterius improbitate? ſi primum, cogita hanc fortuitorum conditionem, fatuo feruntur impetu, nec quęrunt, quid, aut cuius apprehendant: ſi ſecundum, compatere: graui enim morbo detinetur, quem improbitas tenet, potentioribúſque quàm villa ignibus ardet: extingue hæc animorum incendia, ſi potes: ſi

non

Digitized by Google

non potes, perfer, & ab ira caue: plus enim hæc nocitura eſt quàm iniuria.

Pecuniam aliquis ſuffuratus, fors maiore premebatur egeſtate: fors etiã oblata occaſio traxit in rem tuam: tu quoties vltrò, & ſudoribus etiam magnis, occaſionem ſceleri tuo quęſiſti? quoties aliena animo concupiſcis? & quod diſcrimen apud Deum, inter voluiſſe peccare, & peccaſſe? mente ſcelera peraguntur, integrâ licet manu & corpore: atque hinc illud: *Qui viderit mulierem ad concupiſcẽdam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Sed malignitas & improba conſuetudo hunc impulit in tua: te intuere? quoties praua conſuetudo ſcelera ſuaſit? quoties neglecto Deo, ac inferorum pœnis vltrò inuolaſti in illa? Sed aliquid deceſſit de opibus: para illas ad quas nullus latro manus extendat: animorum dico, & ſecurus latronum viues.

Matt. 5.

Morbo tuorum aliquis aut ferro periit? homo erat: aut ſi doles de morte, dole hominẽ fuiſſe: hoſtile ferrum aut venenũ abſtulit? omnes omni ferro & veneno victimæ ſumus, etiam

Reges:

Digitized by Google

Reges,nec vllius tanta potentia eſt,in quam non incurrat iniuria.

Detraxit aliquis nomini,contumeliáque affecit?ignoſce.nõ didicit bene loqui, & ægritudine detinetur graui: vis hanc indignationem exaſperare? mitiga & leni: vis etiam hæc oris aut calamorum vulnera non ſentire?contemne: proprium magni animi eſt, iniurias deſpicere. vltionis verò contumelioſiſſimũ genus,non eſſe viſum dignũ ex quo peteretur vltio, & non multi leues iniurias altiùs dimiſerũt, dum vindicant? ille magnus, qui more nobilis feræ latratus canũ ſecurus audit: ſic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat: frangitur, ſic illiſa tectis grando: idem euenit calumniæ, cùm in virum inciderit.

Deliquit tuorum aliquis ? imitare medicos : morbum ſanant,non indignantur ægrotis,nemo quibus medetur iraſcitur : ac nec illis quidem qui voluntate ſua in ægritudinẽ prolapſi ſunt. Et nõn maxima omnium laude ignouerũt viri magni, etiã hoſtibus? tu filio aut ſeruulo nõ potes? quis ? ſi punienda omnia, impunitus abibit?

Digitized by Google

tu quoties offenſo Numine impunitatem experiris? imitare Dei in te manum: ſi tamē ſanari hoc modo nō poteſt; corripe: lenibus primò: inde etiā acrioribus, ſi mali magnitudo id poſtulet: ſed ſine ira: iraſceris? manū cohibe: non iraſcar delinquenti? vt delicto tuo iraſci vis Deum: ſed altè malitiam imbibit? ſi hæc ſine delinquente tolli non poteſt, bono illum ſuo & aliorum tolle: ſic membra vbi putruerint abſcindimus; ſed ſine ira ſic ſanguinem mittimus, nec iraſcimur.

Dixit aliquis fecitque quod vix ſani eſt capitis? donare prudentia non eſt noſtrum. Dei eſt: indignaris Deo? gratias potiùs age, quòd maiorem illo tibi largitus eſt: aut ſi donare illam potes, quid auarus donorum, beneficium denegas? te accuſa iam quoties tu per imprudentiam lapſus es?

Paſſus aliquid à iudice es, aut bonis etiam exutus, aut ſpe excidiſti tua? ſi ignorantia peccauit, ignorantiæ ignoſce: neq; hæc cuiquam grauior eſt, quam qui illa tenetur: ſi iniuſtitia manifeſta acceſſit, malignitate prouocata, magis etiam miſerere: grauiſſi

uiſſimus talem morbus occupauit: ſi aduerſarij pecunia victus ſuccubuit, cogita quid non omni ætate potuerint opes: quoties inuicta ſæculis, expugnarint: ſtarent regna, ſi ſtetiſſet cupiditas: & quæ non diademata aurum calcauit? tu ipſe quoties Deum offendiſti dum incubas & inhias opibus? quoties te leuis voluptas, omni auro leuior, impulit in pœnitenda? Quid indignaris iudici? indignare tibi: leue aurum fuit, cui manus dedit? commiſerere à tam leui re victo: magnum fuit? fors neque tu ſtetiſſes, tanta mole incumbente: & leuioribus non ſemel ceſſiſſe: conſcientiam tuam excute, videbis vera me dixiſſe.

Non poſſum in omni hac re omittere illud Senecæ: *Læſus es? non eſt iniuria pati quod prior feceris. Iudex eſt? plus illius ſentẽtiæ crede quã tuæ, Rex eſt? ſi nocentẽ punit, cede iuſtitiæ: ſi innocẽtem, cede fortunæ. Mutũ animal eſt, aut muto ſimile? imitaris illud ſi iraſceris. Morbus eſt, aut calamitas? leuius trãſiliet ſuſtinentem. Bonus vir eſt, qui iniuriam facit? noli credere: malus? noli mirari: dabit pœnas,*

alteri, quas debet tibi: etiam ſibi dedit, qui peccauit & infrà: *Ira abſtinendum, ſiue par eſt qui laceſſendus eſt, ſiue ſuperiòr, ſiue inferior: nam cũ pari contendere, anceps; cũ ſuperiore, ſordidũ: puſilli & miſeri eſt ſe petere mordentẽ.* Nec multò poſt: *Dices, Pati nõ poſſum graue eſt iniuriam ſuſtinere: mentiris: quis enim iniuriam nõ poteſt ferre, qui poteſt iram? quare fers ægri rabiem, & phrenetici verba? puerorum proteruas manus? Nempe quia videntur neſcire quod faciunt: quid inter eſt quo quiſque vitio fiat imprudenis? mprudentia par in omnibus patrocinium eſt: quid ergo? impune illi erit? maxima eſt factæ iniuriæ pœna, feciſſe: nec quiſquã grauiùs afficitur, quàm qui ad ſupplicium pœnitentiæ adducitur.* Claudit: *Maximum autem remedium iræ: mora:* in quam etiam ſententiam poëta:

> *Da ſpatium, tenuémque moram malè cuncta miniſtrat.*
> *Impetus.*

Hinc illud Platonis, ſeruulo: *Loris te cæderẽ, ni iratus eſſem:* & illud eiuſdem ad Xenocratem: *Flagella hunc puerum, nã ipſe ſum iratus.* & illud Athenodori ad Cæſarem: *Cùm fueris iratus, ne quid dixeris*

dixeris feceriſue, priuſquam Græcarum litterarum nomina viginti quatuor apud te recenſueris.

PRODIGVS. Quibus mediis vtar ad ſuperbiam domandam?

VIRTVS. Cauſſam tacitus diſquire tecum, vbi ſenſeris illam ſurrepere. quid animos tollit? opes? quantū improbi latè imperant, marmora calcāt, auro gemmíſque bibunt, lauant, dormiunt? & quid gloriaris alieno? non alienū cuius ſeuera aliquādo reddenda ratio iudici Deo? iam quid gloriaris dubiis, perituris, dominū fallentibus, ac in media diuite ſpe fraudantibus, fruſtrantibus? gloriare certis, animorum illæ opes ſunt. quæ ſolæ tuæ ſunt, vt in quas nulla fortuna, potentia nulla ius habet.

Medi ſuperbiam domādi.

Extollit te nobilitas? quid ſcenica dignitate gloriaris? damnas comœdos mutuatitia veſte ſua ſuperbos. quò magis teipſum: breuiùs enim quodcumque imperium, ſi æterna cogitas, ſcenico regno eſt. Et quò tibi nobilitas? non vnus omnium parens Deus? non vna matrix terra? nō animo pares omnes, pares corpore? non Adamo

patre, Eua matre omnes? ad hos, ſiue per ſplendidos,ſiue per ſordidos, prima cuiuſque origo perducitur: erige animos & quidquid in medio ſordiũ latet, tranſili. *Exſpectat nos in cœleſtibus magna nobilitas.* Philoſophi verba ſunt: ad hanc pares ſumus quotquot virtute pares. Et quid maiorum nobilitas dabit? vires? robuſtior ferè ab aratro venit: formam? frequentiùs hãc in ligonibus quàm in ſceptro reperies: eruditionem? plures è plebe omni ſæculo docti: prudentiam? ſæpiùs conſilio pauper valet: virtutes? nobilitatem hæ tribuunt, non accipiunt: quid ergo gloriaris parentum virtute? quis alienis ſibi opibus, viribus, forma, ingenio, ſapientia, prudens applaudit? nec magis maiorum virtutes, quàm opes tuæ ſunt: & quò tibi maiorum opes, ſi inopia premeris? quò virtutes, ſi illis deſtituaris? niſi in dedecus? quò fortia illorum facta, ſi tua nulla ſunt? non magis quàm robora ac valetudo illorum firma, in ignauo, molli imbellíque corpore tuo.

Extolleris eruditione? quanti in omni ſcientiarum genere, orbe toto, ſæculo

culo omni, te doctiores? & propiùs diſcute quid ſcias: non verum, *Nemo ſcit tanta, quanta neſcit?* nihil vbi omnia diſcuſſeris, certæ, cui initaris, ſcientiæ reperies: nulla Philoſophorum placita non oppugnata ab aliis, Theologorum perpauca, nulla Medicorum, Iuriſperitorum nulla minores reliquos taceo. Et ferè quo quiſque altiùs in hoc oceano prouehitur, hoc longiùs â vado eſt: hinc eruditiſſimus quiſque plus ferè ſibi diffidit, cùm pluribus deſtitui ſe videat quorum ignoratione laborat: reſerarunt oculos, litteræ, quæ ignorantia firmauerat: cæca hæc eſt: ita inexpertis armorum mollia bella ſunt, dura aſſuetis: ſaltuque propè decurrit in hoſtem tiro, timidè veteranus progreditur, ſcit etiam in ipſa victoria victoriam excidere, adeóque & poſt fugam victoriam ſtetiſſe, proſtratúmque hoſtem validiorem poſt vulnera ſurrexiſſe.

Extollit te virtutum aliqua? deſinit eſſe virtus ſi illa extolleris: modicè enim de ſe virtus omnis ſentit, modicè loquitur: quóque maior eſt, hoc demiſſior ſibi eſt.

Extolleris ſapientia? non es Achitophele prudentior: laqueo vitã finiit: non es Salomone: ad idola ſenex decurrit: non es Adamo: pomo felicitatem libertatémque ſuam ſuorúmque imprudens vendidit.

Extolleris ſanctitate? deſinit eſſe ſanctitas ſi illa extolleris: quæ quo ſanctior, hoc ſubmiſſior eſt: ſed neq; Dauide ſanctior es: adulterium homicidio funeſtauit.

Extolleris potentia? non es maior tot orbe toto Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, qui ſanguine ferè ſuo ſceptra purpurarunt.

Quid ergo extolleris, fòrs cras, fòrs hodie, fòrs hac hora ſiſtendus Iudici? quis reus non trepidauit ad iudicis nomen? nec innocentia extra metum eſt ad iudicis nomen: non quòd malè ſibi conſcia, ſed quòd incerta ſẽtẽtia ſit: durum nimirum ab aliena voluntate pendere. Quid deniq; te præfers alteri, ignarus quid de te ſentiat Deus, à cuius ſolius iudicio vera rerum æſtimatio pendet? Cùm ſurrexerit ergo ſuperbia mortem oppone, inferorum pœnas, cælorum gaudia. Deum iudicem,

rum, Sanctorum exempla, Dei matris, Christi tui. Imitare. Superborum dein recenſe exitus, Antiochi, Nicanoris. Holofernis, Herodis, Baltaſaris, Angelorum denique lapſum, exilium, pœnas.

PRODIGVS. Quibus mediis auaritia domari poteſt?

VIRTVS. Cótemptus pecuniarum auaritię ſecat neruos, ſitim reſtinguit. illarum verò contemptum æternorum deſideriũ dabit. Sed & qui mortem cogitat omni hora dubiam, omni momento minitabundam & pendulam, aureas ſeponet curas. Nam quò morituro opes? aut, vt cum Sapiente loquar: *Cui laboro, & fraudo animam meam?* heredi? Audi eundem: *Eſt infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole. diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui: pereunt enim in afflictione peſſima, generauit filium, qui in ſumma egeſtate erit*: Et vt heredem concedam opulentum: quò tibi, bene huic eſſe; malè tibi? opibus illum natare, naufragum te omnium viuere? circumfluere illum ſudoribus tuis, deſtitui te illorum fructu?

Modi auaritiam ſuperandi.

Eccl. 4.

Eccl. 5.

Vide deinde, quam ſeuera opum

ratio reddenda Iudici: quid ludis in
Mat. 10. æternitatis alea? memento illius: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum Dei.* Quid dicam de auaro, qui longè deterior illo eſt? cúm Paulus non dubitauerit auaritiam ſimulacrorum dicere ſeruitutem.

Coloſſ. 3. Si meliorem opes facerent, ſuaderem opes: faciunt deteriorem, & maioribus obnoxium pœnis: hinc il-
Iacob. 5. lud Iacobi: *Agite diuites, plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis, aurum & argentum veſtrum æruginauit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis: theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* Audi lamenta non
Sap. 5. profutura: *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tãquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens.* Prę-
Prou. 11. ceſſerant minæ: ô nimiùm veræ! *Qui fidit in diuitiis ſuis, corruet.*

Si doctiorem facerent, permitterem nunc perrarò ſociantur diuitiæ & eruditio: & ferè paupertas ſua doctum premit. Si prudentiã docerent, inhorta

inhortarer in illas: fatuum poſſeſſorem faciunt, præſidétem, faſtuoſum, alienorum conſiliorum contemptorum, ingratum: inimica enim gratitudini auaritia eſt: nunquam enim improbæ cupiditati, quod datur ſatis eſt: quo enim maiora veniunt, maiora cupit: multóque auctior eſt auaritia, in magnarum opum congeſtu collocata, vt flammæ infinito acrior vis eſt, quo ex maiore incendio emicuit. Eſt hîc illud Senecæ de auaro: *Nunquam tam plenè occurrere vlla liberalitas poteſt, vt cupiditates eorum, quæ creſcunt dum implentur, exſaciet quiſquis autem de accipiendo cogitat, oblitus accepti eſt, nec vllum habet malum cupiditas maius, quàm quod ingrata eſt.*

Sed, cùm grauis omnibus, tum ſibi in primis auaritia eſt: audi eundem. *Maiore tormento pecunia poſſidetur, quam quæritur: quantum damnis ingemiſcunt!* & vt nihil *fortuna detrahat, quidquid non acquiritur damnum eſt. Nemo eſt, cui felicitas, etiamſi curſu venit, ſatisfaciat.* Hinc bene & verè illud:

Deſunt inopiæ multa, auaritiæ omnia:
In nullũ auarus bon⁹ eſt, in ſe peſſimus.

Audeo dicere, vitiorum omnium miſerrimum infeliciſſimum, maximum, nullo poſſidétis bono, nullo aliorum. Ferenda fòrs inſana hæc cupiditas foret, ſi moriturum ſequerétur opes? at non noſtrûm quiſque, *ſicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ reuertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo? miſerabilis prorſus infirmitas, quomodo venit, ſic reuertetur, quid ergo prodeſt ei quòd laborauit in ventum.*

PRODIGVS. Quis modus tenendus in beneficiis dandis?

Beneficia quomodo & in quos conferenda.

VIRTVS. Da vt dari deſideras tibi: gratiſſima verò ſemper munera quæ parata, quæq; nullam moram patiuntur niſi ab accipiétis verecundia enitendum proinde ne deliberaſſe videaris, neganti enim proxìmus eſt quiſquis dubitauit, quiſquis rogatus hæſit. Et ſanè ingratum meritò beneficium dixit Seneca, quod diu inter donantis manus hæſit. Illud conſultiſſimum, occupare antequã rogeris: neq; vllum iucundius beneficiũ, nec quod ætatem magis ferat, quàm quòd vltrò venit, & occurrit indigenti: nam qui roganti dedit, vendidiſſe, non de-

diſſe

diſſe videri poteſt: magnum enim pretium preces ſunt; neque res vlla cariùs ſtetit, quàm quæ præcibus parata eſt.

Quòd ſi non contingat præuenire rogantis verba intercidenda ſunt, ne non tam beneuolētię, quàm operoſæ rogationi cōceſſiſſe videamur: ſimul etiam vt petentis pudori cōſulamus.

Scio quoſdam trahere beneficia, vt diu dare videantur: alios concedere quidem, ſed vultu negantiū: alios tarditate prudentiam venari: alios etiam poſt rem conceſſam, moras iniicere diuturniores. Errant. Omnis benignitas properat: & proprium eſt libēter facientis, citò facere: diem de die trahere, nolentis eſt. qui verò verborum quadā maturitate ac tarditate ſapientiæ opinionem aucupantur, nihil agunt, niſi vt incipiat odiſſe qui exſpectat, & impetraſſe pœniteat.

Sed neq; quidquam amarius, quàm cogere vt iterentur preces: quanto ſatius eſt, benigna verba bonis rebus adiicere? illud acerbiſſimum poſt impetrationem, rogare. Et ſanè plerique æquiore lōgè animo præcidi omnem

ſpem

Digitized by Google

ſpem malũt ſibi, quàm diu trahi:plus enim præſtat,quæ citò negat:vt enim miſericordiæ quoddam genus eſt, citò occidere:ita maior eſt muneris gratia,ſi non diu pendeat.

Quidam beneficia differũt, ne plures, ad petendum, facilitate inuitent, ac nimia exurgat rogantium turba. Aulicorum ferè hæc conſuetudo, & quos purpura prouexit: quos videbis lõgo ſuperbiæ ſuę ſpectaculo delectari:potentiæ ſuæ tribuentes, ſi ſperantium poſt ſe exercitũ trahant,in beneficia lenti,in iniurias præcipites. Hos tu putas libenter facere? ſi facerent, properarent:trahunt?imparatum animum oſtẽdunt:& rogari interim volunt,& dare nolunt:non rogas?deceſſiſſe aliquid de potentiæ ſuæ opinione arbitrantur:rogas? ſuſpenſum diu tenent: putant enim non ſatis ſe quid poſſint oſtendere, niſi quid poſſint diu oſtendant grauis error plurimum enim celeritas beneficio addit, mora adimit.

Quidam nulla beneficia dant niſi recepturi: ac tales ſuis, non alienis commodis ſtudent: nec beneficium hoc

hoc eſſe poteſt, ſed quæſtus, ſed nundinatio, ſed emptio. Vis beneficium præſtare? imitare Deum: gratuitum illum habemus: quid? quòd & in ingratos beneficia conferat? imitare: pudet imitari Deum? malles fœneratores? ſed pergit ingratus eſſe: & nos Deo: vis vincere? perge tam diu benefacere quã diu ex ingrato gratũ feceris: magni hoc animi eſt, & Deo ſuo ſimilis: quid? quòd beneficia ferè ſequãtur nõ repoſcentẽ, vt gloriæ fructus fugientem? & fœcundiùs ſemper profundit in non ſperantem munera Deus: neque enim irremuneratam patitur liberalem dexteram: ſed neque vinci ab homine vult Deus: docemur Ioannis Eleëmoſynarij exemplo.

Sunt alij in erogando benigni & celeres; ſed lõgas gratiarum actiones exſpectant & frequentes perit his beneficiis fructus: & emiſſe videtur quẽ ad tot gratiarum actiones benefactor compulit ille generoſus eſt, qui gratias ſibi agi non patitur; qui cùm dedit, dediſſe ſe oblitus eſt Et certè quiſquis gratiã ſperauit, de beneficiorum reditu ſperauit: nã & inter beneficia

actio

actiones gratiarum ſunt.

Sed neque tamen omnibus petentibus danda ſunt omnia: nocitura nemo vir bonus dabit. Bene Seneca: *Vt frigidam ægris negamus, & lugentibus, ac ſibi iratis ferrum, aut amantibus, quidquid cōtra ſe vſurus ardor petit: ſic ea quæ nocitura ſūt, impensè ac ſubmiſſè nonnūquā, ac miſerabiliter rogantibus, perſeuerabim⁹ nō dare. Tū initia beneficiorū ſuorū ſpectare, tam etiam exitus decet: & ea dare, quæ nō tantū accipere, ſed etiā accepiſſe delectet: ſæpè noxia concupiſcimus, æſtimabimus vtilitatem potiùs, quàm voluntatem petentium: nam cùm ſubſederit cupiditas, & impetus ille flagrantis animi, qui conſilium fugat, cecidit deteſtamur pernicioſos malorum munerum auctores.*

Vniuerſum verò in beneficio arrogantia fugienda: hinc illud Philoſophi: *Nihil æquè in beneficio dando vitādum eſt, quam ſuperbia: quid opus arrogātia vultus, quid tumore verborū? ipſa res te extollat: detrahenda eſt inanis iactatio: res loquentur, nobis tacētibus. Non tātum ingratum, ſed inuiſum eſt beneficium ſuperbè datum.*

PRODIGVS. Quis modus in beneficiis

ficiis accipiendis?

VIRTVS Hilari animo accipienda, cùm accipiéda, iudicauerimus: ſétiatque qui donat gaudium noſtrum, vt muneris ſui præſentem fructum capiat: quid? quod retuliſſe gratiam videatur quiſquis benignè accepit: non vt ſoluiſſe ſe putet, ſed vt ſecurior debeat. Neq; hic ſiſtenda gratitudo: refricanda ſæpè memoria eſt, cum referre non poſſit gratiam, niſi qui meminit nec meminiſſe ſatis, ſed narrare etiam delectet; eò magis quo altiùs qui dedit ſilet. Hanc enim legem inter dantem & accipientem beneficium ſtatuunt ſapientes, vt beneficij obliuiſcatur qui dedit, qui accepit, numquã.

Beneficia quomodo & à quibus accipienda.

Accipienda verò ab his beneficia, quibus dediſſe gauderemus: graue enim eſt debere cui nolis, iucundum verò ab illo accepiſſe, quem amare etiam poſt iniuriam poſſis.

Conãdum deinde, vt, ſi potes, referas: ſemper autẽ potes: nam ſi res vireſque negatæ, voluntas numquam: hac repẽdere etiã Regibus poſſumus & parentibus: hac vſque ad vltimum vitæ diem parati ſtare remunerando po

poſſumus: & certè, paria qui voluit, retuliſſe paria videri debet: quare non eſt quòd erubeſcamus ſi paria fortuna negat; dummodo animo pares ſimus, quem ſolum exigere prudens donator poteſt, & accipientes taciti promittunt. Generoſum in hac re illud Socratis ab Archelao Rege euocati, cùm venire nollet, ne beneficiũ ab eo acciperet, cui paria reddere non poſſet gloriatus etiam ille Macedonum maximus, à nullo ſe beneficiis victum. Deum ſuum res hæc redolet, pauciſque omnino conceſſa.

Ille verò ingratus, qui cùm poſſit, non reddit deterior hoc qui beneficiũ ſimulat, deterrimus qui negat: omniq́ue omnino beneficio ac amore indigniſſimus adeoq́ue belluis efferatior ac immanior, qui beneficia malefactis compenſat, cùm immaniſſimas etiam feras memores beneficiorum fuiſſe accepimus. Hinc illud: *Leonem in amphitheatro ſpectauimus, qui vnum è beſtiariis agnitum, cùm quondã ei fuiſſet magiſter, protexit ab impetu beſtiarum* & illud Plinij Maioris: Incidit quidã in pantheram, *qui ſecutus eam qua trahebat*

hebat veſtem vnguium leni iniectu, vt cauſam doloris intellexiſſet, ſimulq́ʒ ſalutis ſuæ mercedem, exemit catulos in foueam delapſos; eaq́ʒ cum iis proſequente, vſque extra ſolitudines deductus, læta ac geſtiente: vt facilè appareret gratiã referre.

PRODIGVS. Quid faciam ſi pecuniæ iacturam fecero?

VIRTVS. Gaude periculi minus habes: & quis ſpondeat non futuram tibi fuiſſe illam in interitum? vide quãti illa perierint, quã pauci inopiâ: & nõ maxima hominum pars hac cadit, & infelici exitu pecuniam ſignat? Et recenſe vitia non ab hac ferè matre nata? vberibus huius paſta? vtero fota? hæc, Seneca teſte, *Fora fatigat, patres liberóſq́ʒ committit, venena miſcet, gladios tam percuſſoribus quàm legionibus tradit: hæc eſt ſanguine noſtro delibuta, propter hanc maritorũ vxorumq́ʒ noctes ſtrepunt litibus & tribunalia magiſtratũ premit turba; Reges ſæuiunt, & ciuitates longo ſæculorum labore conſtructas euertunt.* Non poſſũ hic omittere illud Senecæ: Quid angeris? egeſtatẽ perhorreſcis? *Neminẽ pecunia diuitẽ fecit: imò contra, nulli non maiorem ſui cupiditatẽ incuſſit:*

Quid faciendum in iactura pecuniæ.

incuſſit: quæris quæ ſit huius rei cauſſa? plus incipit habere poſſe, qui plus habet: eo enim maiora cupimus, quo maiora venerunt: multóque concitatior eſt auaritia in magnarũ opum cõgeſtu collocata: vt flammæ infinito acrior vis eſt, quo ex maiore icẽdio emicuit: at qui ſe ad id quod natura exigit cõpoſuit, non tantũ extra ſenſum eſt paupertatis, ſed extra metũ. Iam quòd contẽnere potuerunt Philoſophi etiã ex Epicuri ſchola, quod tot Chriſtianorũ millia Chiſti ſui exẽplo: tu non poteris? cogita tanto maiora tibi cęlo reponi, quãto hîc maiora neglexeris. mentis non poteſt Deus: ſpopondit ipſe fallere non poteſt.

PRODIGVS. Quid ſi fortunarum naufragium fecero?

Quid in fortunarũ naufragio faciendum.

VIRTVS. Quàm multi ante te etiã vitæ fecerũt? recuperari opes poſſunt, non poteſt vita: & neſcis in periculis leuari nauem põdere, & vltrò proiici merces à dominis? quid doles te illis exoneratum, quorum põdere fòrs periiſſes? nõ leuaſti te illis? leuauit Deus: quid indignaris illi qui te onere leuauit? cogita proinde, non quid perdideris, ſed quid reliquum tibi Deus

fece

fecerit: animum: qui exurgere ad cælorum fortunas poteſt: nulla hîc metuenda naufragia ſunt: huic ergo concredas opes: reddet centuplo fœnore auctas.

PRODIGVS. Quid ſi in fures & latrones incidero?

VIRTVS. Euaſiſti integro corpore? gaude: plures ſanguine luerunt: ſi in immanes belluas incidiſſes, quid diceres? ferres? peior belluâ latro eſt, cùm humanum biberit ſanguinem, efferatior omnino homo eſt: non didicit parcere vbi ſæuire inceperit: compatere proinde crudelitati latronum: magno morbo tenentur: ignoſcis furibundo, & contumeliam non arbitraris à beſtia aut ſtulto acceptam: deterior ſæuiórque illis latro eſt, & maiori inſania abripitur.

Quid inter fures & latrones.

PRODIGVS. Quid ſi in exilium à potentiore actus, & tamquam nauſeantis fortunæ vomitu à rebus humanis expunctus fuero?

VIRTVS. Quid times in exſilio Paupertatem? *Nullũ tam inops exſilium eſt, quod nõ alẽdo homini abũdè fertile ſit. An veſtẽ, an domũ deſideraturus eſt exul?* *Si*

Quid in exilio.

Digitized by Google

Si hæc quoque, ad vſum tantùm deſiderabit, neque tectum ei deerit, neque velamen: æquè enim exiguo tegitur corpus, quàm alitur: nihil homini natura, quod neceſſariũ faciebat, fecit operoſum: deſiderat purpuram: non fortunæ iſte vitio, ſed ſuo pauper eſt: deſiderat ſeruorum turbam, & nationum omnium lapides: iſta congerantur licet, nunquam explebunt inexplebilem animum non magis, quam vllus ſufficiet humor ad ſatiãdum eum, cuius deſiderium non ex inopia, ſed ex æſtu ardentium viſcerũ oritur: non enim ſitis illa, ſed morbus eſt: neceſſariis rebus etiã exſilia ſufficiunt: ſuperuacuis nec regna. Senecæ eſt, *Animus nimirum eſt qui diuites facit: hic in exſilia ſequitur, & in ſolitudinibus aſperrimis, cùm quantum ſatis eſt ſuſtinendo corpori inuenerit, ipſe bonis ſuis abundat & fruitur: ideóque nec exſulare vnquam poteſt liber, & Diis cognatus, & omni mundo, omnique æuo par.*

Times circumſcriptos tibi à tyranno terminos? corpori circumſcribi poſſunt: animo non poſſunt: *cuius cogitationes circa omne cœlum, & in omne præteritum futurumq́ tempus immittuntur: corpus hoc cuſtodia, & vinculum animi,*

mi, huc atque illuc iactatur: in hoc ſupplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercẽtur: animus quidẽ ipſe ſacer, & æternus, & cui nõ poſſunt iniici manus, non circumſcribi certis anguſtíſque terminis: omnia illi patent, cui cœlum patet. Graue tibi amicorum excludi conſortio? non excluderis Deo: quin adeò liberior in exſilio cum Deo conſuetudo: incipit hæc, cùm amicorum deſinit: cùm omne illud tempus quod amici ſuffurantur, largiri poſſis Deo.

At dura eſt emigratio patrij ſoli, & *carere patria intolerabile eſt. Aſpice, rogo, hanc frequentiam, cui vix vrbis immenſæ tecta ſufficiunt: pars maxima illius turbæ patria caret: alios adduxit ambitio, alios luxuria, oppulentum & oportunum vitiis locum quærens: quoſdam traxit amicitia, quoſdam induſtria. Iube omnes iſtos ad nomen citari: vnde domo quiſque ſit quære: videbis maiorẽ partem eſſe, quæ relictis ſedibus ſuis, venerit in vrbem non ſuam. Deinde omnes vrbes circumi: nulla eſt, vbi magnã partẽ peregrinæ multitudinis non inuenias. Et omnes populorũ tranſportationes, quid aliud quã publica exilia ſunt? Aduerſus ipſã mutationẽ locorũ, detractis cæteris*

teris incommodis: quæ exſilio adhærēt, ſatis hoc remedij putat Varro, doctiſſimus Romanorum, quod quocumque venimus, eadem rerum natura vtēdū ſit. M. Brutus ſatis putat, quòd licet in exſiliū euntibus, virtutes ſuas ſecum ferre. In alienum arbitrium, niſi viliſſima quæque nō cadūt. Quidquid optimum homini eſt: id extra humanam potentiam iacet: nec dari, nec eripi poteſt mundus hic, quo neque ornatius rerum natura genuit: animus contemplator admiratorq́ mundi, pars eius magnificentiſſima propria nobis & perpetua tamdiu nobiſcum manſura, quandiu ipſi manebimus. Alacres igitur & erecti, quocūque res tulerit, intrepido gradu properemus: emetiamur quaſcumque terras, nullum inuenturi ſolum intra mundum, quod alienum homini ſit: vndecumque ex æquo ad cœlū erigitur acies, paribus interuallis omnia diuina ab omnibus humanis diſtāt: proinde dū oculi mei ab illo ſpectaculo cuius inſatiabiles ſunt, nō abducātur dum mihi Lunam Solemq́ intueri liceat dū cæteris inhærere ſideribus, animūq́ ad cognatarum rerū conſpectū tendentem, in ſublimi ſemper habeā: quantum refert mea quid calcem? anguſtus animus eſt,

quem

quem terrena delectant: magnus cęleſtibus gaudet: à quibus nemo nolens exulat: quare nemo niſi volens exſilium patitur, omne enim vnicuique ſolum patria eſſe poteſt,& non cuique patria vbi bene eſt? bene autem viuere,in omni loco poſitum eſt. Non exulat ergo cui cum animo ſuo & Deo bene eſt:quin adeò felix videri poteſt, qui patria donetur aliena,cùm beatior multorum,quàm vnius vrbis ciuis haberi debeat. Et quid vereris exſilium cælo donandus? patria noſtra cælum eſt,ab hac ſola te vitia excludent;nulla vis, nulla potentia: nam quam hîc poſſidemus, patria non eſt, infelicis exſilij locus eſt: quid exſilij locum amas? ama patriam, & huic te para, exulas, quamdiu ab hac exulas, ab hoc exſilio probitas te liberabit:& hęc ſola.

PRODIGVS. Quid ſi recludar in carcerem & vincula?

Quid in vinculis.

VIRTVS. Aufer carceris nomen, ſeceſſum voca, quid enim, etſi corpus includitur,caro detinetur, non omnia ſpiritui patent? vagare ſpiritu, ſpatiare,non ſtadia opaca aut porticus lon-

Digitized by Google

gas,non prata,montes,nemora; ſed illam viam quæ ad Deum ducit: quoties ſpiritu ambulaueris, toties in carcere non eris. Quid recenſes vincula? nihil crus ſentit in neruo, cùm animus in cęlo eſt,& quid times ad carceris nomen, & quę illud commitantur? non maiores tenebras habet mundus, qui hominum pręcordia excęcat? non grauiores catenas induit, quę ipſas animas conſtringunt? non deteriores libidinum immunditias expirat? non plures reos continet flammarum æternarũ? Et quid innocenti vincula? ſolutus Deo eſt vir bonus: quid odor grauis? ignorat graueolẽtiã innocentia, quid iudex? iudicium aliquãdo de iudicibus feret quiſquis ſeruit Deo. Sed excluderis commodis in carcere,negotiatio eſt aliquid amittere vt maiora lucreris, aſſueſce his corpus & indura,quanti vltrò duriora amplectuntur? intuere vltroneos remiges, ferri & auri foſſores, & quanta nobilitatis pars ſpontaneo ſe carceri & ſudoribus includit prodactæ in femina valetudini recuperandę?

PRODIGVS. Quid ſi admoueantur

tormenta

tormenta & ſecures?

VIRTVS. Acerba hæc eſſe non nego, ſed à multis æquo animo excepta;imò & vltrò appetita famę & glorię cauſſâ; nec à viris tantùm, ſed à feminis. Nota Athenienſis meretrix, quę ne coniuratos proderet, comeſtam linguam exſpuit in tyrannum: nota Aſdrubalis vxor, quę cum filiis in patrię incendium deuolauit:nota Cleopatra, quę ne in manus inimici deueniret,aſpides immiſit ſibi, nota Lucretia,quę ferro ſuo viam inuenit,cùm non inueniſſet alieno, taceo Mutium, Regulum,Catonem,Empedoclem,Peregrinum. Certè ſi tantùm glorię licuit, de corporis & animi vigore, vt gladium, ignes,ſerpentes, tormenta contemnerent, ſub pręmio laudis humanę;poſſum cum Tertulliano dicere, *Modicæ ſunt iſtæ paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis,& diuinæ mercedis*.Quis ergo nõ libentiſſimè tantum pro vero habeat erogare,quantũ alij pro falſo? & quis prudens reformidabit tantũ pro innocentia & veritate pati in ſalutẽ quantũ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem?quòd ſi nocenti admouean-

Quid faciendum in tormẽtis.

Digitized by Google

tur tormenta; dilues delictum: ſi innocenti, addes glorię, quid refugis? præmiatorem habebis Deum: etiam ducem: nam prior ille tulit, tanto duce & prę miatore quid vereris?

PRODIGVS. Quid ſi extrema egeſtas totis inuoluerit oſtiis?

Quid in paupertate.

VIRTVS. Si ad naturam viues, nunquam eris pauper; ſi ad opinionē, nunquam diues, exiguum enim natura deſiderat, opinio immenſum. Audi Senecam: *Congeratur in te, quidquid multi locupletes poſſederunt: vltra priuatum pecuniæ modū fortuna te prouehat, auro tegat, purpura veſtiat, & eò deliciarum opumq́ perducat, vt terrā marmoribus abſcondas, & non tantū habere tibi liceat, ſed calcare diuitias: accedant ſtatuæ & pictura, & quidquid ars vlla luxuriæ laborauit, maiora cupere ab his diſces: naturalia deſideria finita ſunt: ex falſa opinione naſcentia, vbi deſinant non habent, nullus enim terminus falſo eſt: via eunti aliquid extremum eſt: error immenſus eſt.* Et quid paupertatem vereris? aut beatos arbitraris quos diuitię circumſederunt? Audi quid pro me reſpondeat Seneca: *Beatus non eſt, quem vulgus appellat, ad quem pecunia*

magna

magna confluxit: ſed ille, cui bonum omne in animo eſt, erectus, excelſus, mirabilia calcans: qui hominem ea ſola parte æſtimat qua homo eſt: cui bona ſua nulla vis excutit: quẽ aliqua vis mouet, nulla perturbat: quem fortuna, cùm in eum, quod habuit telum nocentiſſimum, vi maxima intorſit, pungit, nõ vulnerat, & hoc raró. Nam cætera eius tela, quibus genus humanum debellatur, grãdinis more diſſultant, quæ immiſſa tectis ſine vllo habitationis incõmodo crepitat & ſoluitur. Certè ſi beati diuites eſſent, infelix Chriſtus tuus fuiſſet, & tot millia ſpontaneam paupertatem amplexa: ſi beatum diuitię facerent, complexus diuitias Deus eſſet, ſpreuit & egeſtatem delegit, ſignum eſt, nec beatas diuitias, nec infelicem egeſtatẽ eſſe: optima delegit Deus: qui nec falli, nec errare in delectu ſuo poteſt, paupertas ergo diuitiis potior eſt: beatior eſt, cùm hanc ſibi delegerit Dei filius.

PRODIGVS. Quid ſi nobilitate & dignitatibus exutum inglorium viuere cogant?

VIRTVS. Diſce à Philoſopho quid in hoc genere tibi reſpondeas, animó- *Quid in ingloria vita.*

que facias ſatis. *Bona mens omnibus patet, per hanc omnes nobiles ſumus. Plato neminem Regem non ex ſeruis eſſe oriundum, neminẽ non ſeruum è Regibus putat. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſauit. Quis ergo generoſus? ad virtutem natura compoſitus, hoc vnum eſt intuendum, alioqui ſi ad vetera reuocas, nemo non inde eſt, ante quod nihil eſt, à primo mundi ortu vſque ad hoc tẽpus produxit nos ex ſplendidis ſordidiſq́; alternata ſeries. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus: nemo in noſtram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Addo Senecæ Epictetum: *Iſta cogitationes ne te crucient, fore vt ſine honore viuas, & nullo ſis loco: nã ſi honore carere malum eſt: nihilo magis per alium in malo eſſe potes, quàm in vitio. Numquid igitur tui muneris eſt imperio potiri? aut ad conuiuium adhiberi? Nequaquam, quî igitur ea iam erit ignominia, qui nullo vſquam loco eris? quem in iis ſolis aliquem eſſe oportet, in quibus vel ſummo loco eſſe potes? quem ergo locum, inquis, habebo in vrbe? quem poteris integritate & verecũdia conſeruata.*

Et

Et quid times ſęculi exui dignitatibus? time exui cæleſtibus: quid vereris ingloriam vitam? nemo placens Deo inglorius viuit, ęternitati viue, viue Deo: & glorioſus viues, quanti voluntate ſua, ingloriam mundo vitam delegerunt, cùm glorioſam poſſent, vt cęſo viuerent? quod illi vltrò aggreſſi, tu occaſione oblata ne dubita arripere. Et intuere quod nunc diſcrimen inter Reges & Principes ſolis ignibus viuentes: & Lazarum & Franciſcum fęlici ęternitati inſcriptos: delige vitam, quorum amas exitum, ille generoſiſſimus, qui vt placeat Deo, ſæculo diſplicet: hîc ſe abiicit & famulatur, vt ęternùm imperet, non prudentia ſumma eſt, hîc cum Chriſto tuo famulari, vt æternùm imperes? aut malles cum tot Regibus hîc imperare, æternùm cruciari?

PRODIGVS. Quid ſi quidquid vſquã voluptatũ eſt, ſubtractum fuerit? *Quid in voluptatum carentia*

VIRTVS. Animi nemo tibi ſubtrahere poteſt, quę, quo corporis minores ſunt, potẽtiores eſſe ſolẽt: corporis verò ſapiẽs ſibi ſubtrahit, quod quomodo habendum ſit Seneca docet: *Corporis*

tantum indulge, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Durius tractandum eſt, ne animo malè pareat: cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit aduerſus infeſta corpori. Hanc vtrùm ceſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt: ſcito hominem tam bene culmo, quàm auro tegi. Contemne omnia, quæ ſuperuacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te præter animum nihil eſſe mirabile: cui magno nihil magnum eſt. Indurandus hic, & à blandimentis voluptatũ procul abſtrahendus. Vna Hannibalẽ hiberna ſoluerũt, & indomitũ illum niuibus atque Alpibus virũ eneruarũt fomenta Campaniæ, armis vicit, vitiis victus eſt. Nobis quoque militandum debellandæ ſunt in primis voluptates, quæ ſæua quoque ingenia ad ſe rapuerũt. Et quid voluptatis corporíſque commoda circumſpicis? quem feliciorem beatiorémque putas, Męcenatem, cui amoribus anxio & moroſę vxoris quotidiana repudia deflenti, ſomnus per ſymphoniarum cantum, ex longinquo lene ſonantium, quæritur? an magnum Stylitem, Hilarionem, Paulum, Antonium? Et quæ nobilior voluptas,

luptas, voluptatum omnium contemptu: quis clarior triumphus, quàm eò corpus reduxiſſe, vt ſoli animæ inferius, nulli ancilletur? quòd ſi qua te tamen voluptatum cura tangat, æternis inſuda: maiores ne ſperare quidem quiſquam audeat: cælo repoſuit Deus maximas, nullo felle miſcendas, nullo mœrore feriendas, nulla pœnitentia luendas, nullo fure viribuſque eripiẽdas. Quid verò voluptate propoſita faciendum, Epictetus docet: *Si voluptatis alicuius imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea mouearis: ſed & rem examina, & tibi ipſi deliberandi prabe ſpatium. Dein vtriuſque temporis memento, tum eius quo voluptate perfrueris, tum eius quo percepta iam voluptate dolebis, teq; ipſe obiurgabis: atque his illa confer: ſi abſtinueris fore vt gaudeas, teq; ipſe collaudes: quòd ſi tibi ſuſcipienda rei videbitur eſſe tempus, caue ne te vincant eius blanditiæ, & ſuauitates, & illecebræ: ſed illud oppone, quanto praſtantior ſit talis victoria conſcientia.*

PRODIGVS. Quid ſi amico nudatus fuero?

VIRTVS. Si culpa tua, dole: ſi aliena,

Quid faciet amico destitutus.

perfer, & cogita vetus illud: *Sciebam hominem, quare & mutabilem:* nec ideo deſine amicus eſſe: hoſtilem ille animũ induit? tu perge amare: pergit ille malefacere? tu bene: nec patere te ab alterius improbitate aut ingratitudine vinci. Vis autem non timere hanc amici deſtitutionem? nihil amico cõmitte, quod in inimico erubeſcas: facies, ſi vixeris tanquam in theatro, tanquam in hoſtium oculis: ſic fiet vt nullius amici perfidiam pertimeſcas, ad nullius inconſtantiam trepides. Morte ereptus eſt? cui indignaris? amico? fatuum. Deo? non minùs ſtolidum: precare tantùm vt non inferiorem largiatur: negat? amplectere virtutem: nullus tibi coniunctior amicus: & quid circumſpicis amicum, qui Deo frui potes amico? nulla hunc fortuna mutabit: aduerſa etiam adnectent magis, & illigabunt fortiùs: quid tanto ambitu amicum hîc quęris, cũ frui amico poſſis Deo, in cuius ſinum tutiſſimè omnia deponas: à quo prodi aut falli non verearis, cuiuſque auxilia & conſilia viciniora certioráque quàm cuiuſquam amici ſunt.

PRODI-

Digitized by Google

PRODIGVS. Quid ſi coniuge deſtituar?

VIRTVS. Mala fuit, immorigera, & quæ perpetuo cuſtode egeret? gaude: bona? feciſti talem? fac parem: inueniſti talem? ſimilem ſpera: & hac te ſpe ſolare: difficilem times? carere potes: non potes? incontinentiæ tuę aſſcribe, ſi aliam quam voueas nactus fueris: vtere interim delectu, parem ducito, nam in locupletiore ac nobiliore ferè dominam reperies, talem etiam quære quam nulli publici mores corruperunt.

Quid cõiuge priuatus.

PRODIGVS. Quid ſi liberis?

VIRTVS. Quid quereris? abſtulit qui dedit, quis prudens accuſet illum qui mutuum repetit? ingratus repetenti offenditur: gratus gratiam habet, tu Deo, quòd tanto tempore liberos conceſſerit: & quid doles? non moriturum genueras? aut inuides cælo aſſcripto; & hoc benigni patris eſt meliora filio inuidere? quid ſi filium Rex adoptaſſet? gauderes? adoptauit ſibi illum morte Deus; aut minor tibi Rege Deus eſt, minor diuina humana adoptione?

Quid orbatus prolibus.

Et quid æquius iudicas te Deo fi-

lium euocanti, aut tibi parere Deum? & quis tu qui damnas Deum: damnat qui euocantis imperium accuſat, qui triſti vultu & pectore imperia excipit, & quid quereris? iuſta tibi an iniuſta euocantis Dei imperia videntur? iniuſta quis dicet? ſi iuſta, quid quereris, nam meritò iniuſtitiæ te accuſes, qui iuſta Dei mandata cùm quereris accuſas; & quid indignaris, ſi in nauigando prior te filius portum tenuit: prior tenuit, qui prior mortuus eſt, & littora patriámque tenuit cui natus. Quid parens filij inuides felicitati? hoccine patris eſt? & non felix ille qui prior donatus cælo eſt? donari non potuit niſi morte, beatus ergo quem cita mors cęlorum imperiis donauit: tu etiam beatus, qui filium videas tot ſęculi moleſtiis ereptum, tot cæleſtibus donis auctum. At filium perdidiſti: nemo pater filium perdit, quem auctum dignitatibus & opibus videt: auctus his filius morte ſua eſt. At cares filio: quanti Reges caruerunt? quanti à matrum vtero, vbere, ſinu rapti, parentum imperio exciderunt? ſolare te horum exemplo.

Digitized by Google

Verûm ſpem tibi magnam filius promittebat: nõ & metum maiorem? è multis aliquando millibus vnus aut alter exſurgit in parentum gloriam: reliqui in dedecus: è primis & paucis eſſe potuit; non magis è poſterioribus & multis? quid dubia certioribus anteponis? & potuit in maiorem quàm cœlorum ſpem exſurgere? aut dubiam ſæculi ſpem, certiſſimis cœli prępomis? Et quid doles de liberorum morte? fortiter etiam illam matres tulerunt. *Rutilia Cottam filium ſecuta eſt in exſilium, & vſque eò fuit indulgentiâ conſtricta, vt mallet exſilium pati, quàm deſiderium: nec antè in patriam quàm cum filio rediit. Eundem reducem & in republica florentem, tam fortiter amiſit, quàm ſecuta eſt: nec quiſquam lachrymas eius poſt elatum filium notauit: in expulſo virtutem oſtendit, in amiſſo prudentiam. Corneliam ex duodecim liberis ad duos fortuna redegit: ſi numerare funera Corneliæ velles, amiſerat decẽ: ſi æſtimare, amiſerat Gracchos: flentibus tamen circa ſe, & fatum eius exſecrãtibus interdixit, ne fortunam accuſarẽt, quæ ſibi filios Gracchos dediſſet.* Pudeat à feminis virum vinci, à ma-

tribus

tribus patrem. Sed & conſilium cape ab Epicteto: *Filius alterius obiit aut vxor? nemo eſt quin dicat, humanũ id eſſe: ſin ipſi alicui id acciderit, ſtatim, Hei mihi! inquit: ô me miſerum: meminiſſe autem oportebat, vt affecti ſumus, cũ tale aliquid de aliis audiuerimus:* & alibi: *Singulis in rebus, quæ vel delectãt, vel vſui ſeruiunt, vel diliguntur, memẽto conſiderare cuiuſmodi ſint, exorſus à minutiſſimis: ſi ollam diligis, te ollam diligere: nam ea confracta non perturbaberis: ſi filiolum aut vxorem: hominem à te diligi: nam eo mortuo non perturbaberis.*

PRODIGVS. Quid faciam ſi quis detractum eat homini & famæ?

Quid faciendum in detractionibus.

VIRTVS. Si cauſſam dediſti, dediſſe dole: nullam dediſti? de innocentia gaude. At durum innocẽtem pati: malles nocentem? ſed falſo obiiciuntur: velles vera? ſed quò hæc improba lingua? non ſortitus eſt meliorẽ: quid accuſas? bene loqueretur: non didicit bene loqui: quid damnas? graue eſt hæc ferre: ferres conſpui ab ægro, ab inſano? ſtultitiæ aliquid, & ægritudinis multum detractor omnis habet: largire morbo: & ferè ignorantia de-

tractor

tractor omnis labitur: quid alienam inſcitiam & imprudentiam prudens accuſas? vince prudentia.

Verùm hæ locutiones detractũ eunt nomini: ſi apud homines, quid humana metiris iudicia mille erroribus implexa? & quid illa detrahent veræ virtuti? ſi apud Deum detraherẽt, meritò cõmouereris: nunc augent etiam apud illum nomen bonum, ſi tuleris. Et vis detractoribus ſuperior eſſe? cõtemne, ac ſola te ab his probitate vindica: nulla nobilior vindicta contẽptu, nulla hoſtibus grauior: clariſſima autem victoria erit, ſi quo plus detraxerint, eò fortiùs virtuti incubueris: imitare medicos, qui remedium cõtra venena de ſerpente conficiunt: tu detractiones doce ſeruire nomini augendo: facias: ſi neglexeris: nec vlla re certiùs aduerſarium calcabis: nihil hoſti grauius riſu & cõtemptu: armis vinci virorum eſt: contemptu infrà viros eſt: quòd ſi indolueris: cecidiſti: vicit detractor, qui mœrorẽ tuũ detractionis ſuę fructum retulit, veneni ſui morbũ: at tu ride, & benefactorũ te conſcientiâ tuere: ſatis tibi, ſi innocentia probata Deo fuerit:

illi

illi placuiſſe ſupremum felicitatis eſt. Firmo quę hîc dixi ſententia Epicteti: *Si quis nunciarit, quendam tibi maledicere: ne refuta quæ dicta ſunt, ſed reſponde, eum neſciſſe cætera tua vitia: nam alioqui non illa ſola fuiſſe dicturum.* Addo alteram: *Cùm tibi quiſpiam vel malefecerit, vel maledixerit: memento eum opinatum eſſe, id ex officio ſibi faciendum, & dicendum: neque verò fieri poteſt, vt id ſequatur ille, quod tibi videtur, ſed quòd ſibi: quòd ſi malè iudicat, is damnum facit, qui decipitur. Nam inuolutam veritatem ſi quis mendacium iudicet, non ea inuoluta læditur, ſed ille qui deceptus fuerit. Si igitur instructus, æquo feres animo conuiciatorē: nā ad ſingula dices, Ita viſum eſt illi.*

Prodigvs. Verùm has ferè linguas ignominia ſequitur & contemptus; grauia hæc viro, & morte grauior contemptus; & ingloriam vitam ducere, omni tormento acerbius.

Quid faciet qui contemptum aliorū patitur.

Virtvs. Nemo ignominiam & contemptum nolens patitur: quis vis? loquendi in libera Republica libertatem tollere? nec Deus ipſe linguis, nec humanæ liberrati frenos iniicit. Et vis non ſentire contemptum? contemne: vicit

vicit qui cõtempſit:adeóque nec contemptum ſentit, qui contemnit: tu tantùm te non abiice, nec contemne; ſed digna Deo cogita, digna facito,& ſuprà contemptum eris: ridebis etiam humana iudicia, diuinis felix: & cùm ferè humanis diuina aduerſentur, gaudebis humanorum contemptu, vt diuinorum laude fruaris, hoc propior huic futurus, quo ab humanis laudibus remotior es. Vide quid ſentiat in hac re Seneca: *Ignominia tu putas quemquam ſapientem moueri poſſe, qui omnia in ſe repoſuit, qui ab opinionibus vulgi receſſit? nemo ab alio contemnitur, niſi à ſe antè contemptus eſt: proiectus animus fit huic contumeliæ opportunus: qui verò aduerſus ſæuiſſimos caſus ſe extollit, & ea mala, quibus alij opprimuntur, euertit, ipſas miſerias inſularum loco habet: quando ita affecti ſumus, vt nihil æquè magnam admirationem occupet, quam homo fortiter miſer.* Quàm generosè, quàm chriſtianè! quàm non abſimile illi: *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*! Aſt-tu hos paſſos aliquid arbitraris, quos

gaudio

gaudio perfuſos vides? an ignominiã hanc inter pœnas credis potuiſſe, qui in laude, & laude magna poſuerunt? confirmat quæ dixi Epitectus: *Te alius non lædet, niſi ipſe velis. Tum autem læſus eris, cùm te lædi exiſtimaueris.*

PRODIGVS. Grauis interim omni viro generoſioris animi cõtemptus, & malũ longè morte ipſa maius.

Ad malũ ſit contemni. VIRTVS. At ego, neque mortem malam, neque contemptum malum puto: cecidit vir magnus tyranni aut alterius ferro? contemptus populo iacet vir magnus? maior poſt ferrum & contemptum fuit: deſiit terris magnus videri: cœpit cœlo magnus eſſe: ille miſer & infelix, quem ignominia læſit: vis non lædi? neglige: neglectus victoriam dabit: mœror contemptum. Sed tamẽ inglorius iacet quem ignominia loco deiecit: cauſſam examina: ſi quã contẽptui dediſti; delicti pœnam perfer: elues ferendo: ſin innocentem incurrit? de innocentia gaude: de contemptu non dole: illa in manu tua eſt: aliorum de te opinio, iuris alieni eſt: quid doles de alieno? de tuo, & quod emendare potes, dole.

Con-

Contemnor interim,& ignominiæ latè ſparſa: vide an qui ſparſit, odio tui laboret,an ignoratione: ſi primũ, ſcrutare,cauſam huic dederis,an gratuito oderit:dediſti? tolle,ſi potes:& beneficiis etiam demerere:non dediſti? compatere morbo tenetur graui, qui nulli moleſtior,quàm qui illo tenetur,cui non dies,nõ noctes patitur eſſe ſecuras: & vis grauiùs hunc etiã torqueri?odia,&ignominiã odio natam,contemne.Si ignoratione tui laborat,oſtende alium te eſſe quàm arbitratur:conatũ adhibuiſti, nec conceptam ſemel opinionẽ depoſuit, ſepone has alieni capitis curas, & Deo innocentiæ propugnatori rem omnẽ committere:quis ſcit an nõ voluntate illius hæc eueniant,laude tua maiore? quid ſi te his ſibi exercitationibus parare velit?dãnabis Deũ? Quid ſi in delictorum pœnã hæc tibi eueniant?nõ gaudebis tam miti lenique, toties cõmeritas æternas elui? benignitatis hæc in te dei ſunt,patris sũt, nõ iudicis: agnoſce & ama hîc patrẽ, ne poſtea ferre cogaris iudicem: & inter beneficia contemptum repone:

reponen

reponet te cælo, ſi fortiter tuleris: & quid faciliùs beatiúſve, quàm breuē contemptum ferre, cœlo præmiandum? ſecurus æternitatis eſt quem probitas & innocentia veſtit: inuolet ignominia, & ignominiæ comes contemptus; creſcet ex his gloria Deo ſpectatore, præmiatore, laudatore. Quis gloriæ ſuæ cauſam ſciens repulit? non inter amicos numerandi quicūque illi augendæ cauſam dederūt? dat illā quicunque te contempſit: arripe oblati muneris occaſionem. Non dedit in munus, dedit in interitum: magis etiam gaude, quòd in mortem porrècta vertere in ſalutem poſsis: & gratias etiam improuido donatori age, qui hoſtilem dum expandit animū, medicamēta ignarus dedit: fruere inimici beneficio: & imitare monētē: *Beati eſtis cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Ob Chriſtum patitur, quiſquis innocētia & probitate tectus, cōtemptum ſuū Chriſto ſacrat, illi ignominiā omnem donat, gaudet

Matt. 5.

gaudetque pro veritare pati in ſalutem:patitur ob Chriſtum quiſquis ob probitatis ſtudiũ ludibria patitur:cui remedium hoc ab Epicteto: *Quiſquis ſapientiæ ſtudiũ ſuſcipire cupis, ſtatim te para.quaſi futurũ ſit vt derideaeris, vt multi te ſubsãnẽt:vt dicãt,te ſubitò Philoſophũ extitiſſe:vt rogent, Vnde ſuperciliũ iſtud? Tu verò ſupercilium ne habeto: ea verò,quæ optima tibi videbuntur,ſic teneto,quaſi à Deo ſis in ea ſtatione collocatus Cæterùm memento, te, ſi in eodem ſtatu permanſeris,iis tandem admirationi fore, qui te priùs deriſerunt:ſin eis ſuccubueris, dupliciter fore deridendum.*

PRODIGVS. Quid faciam adulatoribus circumſeſſus?

VIRTVS. Quod ſerpentibus cinctus:ne fide venena ſpargẽt nec vnquã magis,quàm dum blandiũtur:ne crede fronti,mentitur: odiis natat dum amicam ſpõdet:ne fide verbis pectori reconduntur toxica in incautum euomenda:rident? ſanguinem meditantur laudant? dãnant animo: inhortantur? inſidias parant ſpondent amica? inimica exſpecta: operam vltrò promittunt; hoſtilia cogitant: conſilia *Quid in adulatoribus.*

ſug

ſuggerunt? ne tange, in interitum eunt: fuge lupinos ſub ouilla pelle animos: periſti, ſi te illis credideris: quid? quòd nec audiri velim: illabuntur ſuauibus, & antè vulnerant, quàm ferrũ ſenſeris: deuita has nouaculas ſpongia tectas: eminus proſpicienda hæc mala ſunt: quamquam & draconum more venena de loginquo iaculentur: quo proinde minùs te tuaque illis credideris, hoc ſecurior eris nemo hoſti tutò ſe commiſit, nemoque inimica cõſilia prudens ſecutus eſt: ſcit ab hoſte hoſtilia exſpectanda & metuenda, nec alia.

Quid faciẽdum in morte.

Prodigvs. Quid ſi moriendum.

Virtvs. Lubens vtor Senecæ verbis: ne pudeat Chriſtianum à Philoſopho diſcere, & mutuari aliquid á Philoſophi calamo in ſalutem. *Dies ille quem tanquam extremum reformidas æterni natalis eſt, proinde intrepidus horam illã decretoriam proſpice: non eſt animo ſuprema, ſed corpori: quidquid circa te iacet, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta: tranſeũdum eſt, nõ licet plus efferre quã intuleris: imò ex eo quod in vitã attuliſti, pars magna ponẽda eſt.* Non videtur

tibi

tibi hæc à Chriſtiana manu nata: Elegãter alibi: *Nõ vt diu viuamus curandũ eſt: ſed vt ſatis: nam vt diu viuas: fato opus eſt: vt ſatis, animo: longa eſt vita, ſi plena eſt: impletur autem cùm animum ſibi bonum ſuum reddidit, & ad ſe poteſtatem ſui tranſtulit: quid illum octoginta anni iuuant per inertiã exacti? non vixit ille, ſed in vita moratus eſt: nec ſerò mortuus eſt, ſed diu: octoginta annis vixit: imò octoginta annis fuit: niſi fortè ſic vixiſſe illum dicas, quomodo dicuntur arbores viuere.* Nihil addam de meo, addam illud Platonis: *Vnuſquiſque noſtrûm ſua mens eſt, ſuus animus, id eſt, animal immortale in mortali incluſum præſidio, & quaſi cuſtodia. Domicilium autem hoc nobis moleſtũ ac graue circumſcripſit natura, cuius voluptates obſcurãtur & volant, & plurimis moleſtiis admixtæ ſunt: dolores tũ improuiſi, tum diuturni. Quid morbos cõmemorẽ? quid ſenſuũ vlcera? quid interna vitia, à malis ergo mors abducit, non à bonis: quocirca nõ tu ad mortẽ, ſed ad immortalitatẽ raperis: ne, te vita cõmoda, & bonorũ detractio manet, ſed ſincera liberiorq́; cum voluptate poſſeſſio: nec voluptates mortali corpori admixtas percipies, ſed* ab

Ingentia & non moritura bona poſt hanc vitam nos manere.

ab omni dolore vacuas ac liberas : cùm enim ex his vinculis, & ex hoc carcere euolaueris, tum eò peruenies, vbi nulla moleſtia, nulla ſolicitudo, nulla ſenectus poterit affligere: vita autem ſoluta & tranquilla, quã nulla mala & incõmoda conſequẽtur, cùm ſtabili quiete, illic cùm natura cõtemplatione philophando, non cum turba colluuione, nec in theatro, ſed in perſpiciẽtia veri omnis traducitur. Nõ arbitreris petita hæc e media Theologia? De viris bonis probiſq; illi verba: quibus mortem nullo modo timendã vult: amandam potiùs & ſperandã, tanquam melioris vitæ prænunciam & ducem: & quid vereatur cui tãta bona poſt mortem affluunt? Nihil addo, explicatè nimis ac chriſtianè Plato, vt Pauli aut Ioannis calamo dictaſſe videatur.

PRODIGVS. Quid ſi mors iuuenem oppreſſerit?

Mortem iuueni optãdam.

VIRTVS. Malles ſenem? fac te maturum ſenémque moribus mors reperiat: nemo talis iuuenis moritur: caneſce moribus, vt illis te, nõ annis cenſeam; & ſenex eris: neq; talis immatura mors eſſe poteſt, quæ maturuit probitate. Quid? quòd in beneficio ſit iuue-

nem

nem mori? Epicharmi Philoſophi verba ſunt: *Quem Deus amat, iuuenis moritur*: minor enim ferè tales vitiorũ ſarcina premit Quid? quòd & alacrior in mortẽ eat iuuentus? bella hoc docent: timidior ſenectus eſt: & nõ facilior emigratio è domo paucis inhabitata annis, quàm plurimorũ annorũ conſuetudine firmata? & cùm in mortem nati ſimus quid refert, citiùs aut tardiùs curſum expleamus? niſi quòd inter exules felicior qui prior patriæ redditus: patria nobis cælum eſt, à qua quamdiu viuimus, exulamus, & qui exul doluit de reddita citò patria? Omnem deinde retrò ætatem, aut, ſi hoc longum, ætatis tuæ homines cogita: hic adoleſcens deceſſit, ſenex alius, alter infans, cui nihil amplius contigit quàm proſpicere vitam: omnes hi curſum finiuerunt, licet mors aliorum longiùs paſſa ſit vitam procedere, aliorum in medio flore præciderit, aliorum interruperit principia: alium inter cænandum, ambulãdum, ſcribendum, dicendum, ridendum ſoluit; alterius continuata mors ſomno eſt; ferro alij ſerpentum morſu, ruina,

Digitized by Google

ignibus, milléq; modis aliis extincti. Nunc quid accedit felicitatis iis, qui diutiùs vitã protraxerũt? par in mortuis ſenſus: adiecti aut ademptι anni vitæ, nihil vita functis addunt, nihil adimunt: niſi quòd ferè plura ac grauiora paſſi, quibus lõgior vita contigit. Claudo Senecæ verbis: *Numquid feliciorem illum iudicas, qui ſummo die muneris, quàm eum qui medio occiditur? numquid aliquem tam cupidum vitæ eſſe putas, vt iugulari in ſpoliario, quàm in arena malit: non maiore ſpatio alter alterum præcedimus: mors per omnes it, qui occidit conſequitur occiſum.*

Non eſſe malum peregrè mori.

PRODIGVS. Quid ſi peregrè moriendum?

VIRTVS. Mors eadem eſt: nec mitior domi, quàm foris: imò acerbior ferè domi: auget enim mœrorem carorũ aſpectus, vxoris maximè & prolium: & quid refert qua via cęlũ conſcendas? nõ tam facilis aditus ad illud, è peregrino quàm è patrio ſolo? aut arbitraris leuiorem cadaueri patriam quàm peregrinam terram fore? Sed ſolatio eſſe amici poſſunt, plus doloris ab his quam ſolatij exſpecta quo enim

enim aliquado cariores, hoc acerbior diſiunctio: neque tam abſentia quàm præſentia mala ſentimus: hæc magis feruint, illa mitiùs tranſiguntur.

PRODIGVS. Quid ſi inſepultus iacuero?

VIRTVS. Quid times, aut cui? cadaueri? non ſentit animo? nulla hunc tegit terra: recōde hunc cælo: erit cùm corpus iunget ſibi, cuicunq; demum concreditum, terræ, aquis, aëri: at graue eſt inſepultū iacere: animo graue eſſe non poteſt: graue illi & miſerum eſſet terræ inſepeliri: quid inuides corpori quod animo apprecaris? quāquam, ſi veteres audimus, inſepultus nemo ſit: *cælo enim tegitur qui non habet vrnam*: non dignius cælo quàm terra tegi. *Non eſſe malum inſepultū iacere mortuū.*

PRODIGVS. Quid faciendū in morte?

VIRTVS. Imitare milites, in hoſtes, pericula, vulnera, ſanguinem, ferrum euntes: imitare gladiatores, fortiter telum excipe: quid prodeſt timidè? aut quæ gloria metus? Sed mors eſt: imò via ad vitam eſt: metuis meliore viuere vita? metuis præmiis donari? nemo donatur æternis niſi mors *Qualis quiſque debeat eſſe in morte.*

Digitized by Google

anteceſſerit, & felici æternitati viam ſtrauerit: metuis iudicem? audi veterem Philoſophum: *Inſidi quæſtores rationes verentur: idem accidit malè viuentibus, mortem:* nemo ſerius quæſtor rationes veretur, nemo bonus iudicem præmia ſperat qui bonus eſt. *Si ob malam conſcientiam timeas mortem, illi, non huic imputa:* hæc Philoſophus. Sed timeo; vanus metus, ſi conſcientia non redarguat: redarguit? compone hanc, & non timebis: imò cum voluptate morieris: facit hoc omnis qui vixit bene: ita vitam bonam mors claudit bona: & dictum verè: *Neſcit bene viuere, qui neſcit bene mori:* neſcit mori malè, qui bene viuere didicit. Audiamus Senecam: *Maximum argumẽtum eſt animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur humilia iudicat & anguſta, ſi exire non metuit: ſcit enim quo exiturus ſit, qui vnde venerit meminit:* è cælo venit, repetiturus cælũ. Quid ergo mortem timeat? niſi ſcelera deprimant: hæc fuge, & ſecurus in morte eris, quia ſecurus de gloria. Nõ omitto hîc illud Epicuri inhortãtis ad fortiter moriendũ: *Nemo nõn ita exit è vita*

tanquam

Digitized by Google

tanquã modò intrauerit. Sed addo Senecę cõmentarium: *Falſum eſt: peiores morimur quàm naſcimur: noſtrum iſtud, non naturæ vitium eſt, illa de nobis conqueri debet, & dicere, Quid hoc eſt? ſine cupiditatibus vos genui: ſine timoribus, ſine ſuperſtitione, ſine perfidia, cæteriſq; peſtibus: quales intraſtis, exite: percepit ſapientiam, ſi quis ſecuriùs moritur, quàm naſcitur. Nunc verò trepidamus, cùm periculũ acceſſit: non animus nobis, nõ color cõſtat: lacrymæ nil profuturæ cadunt: quid eſt turpius, quã in ipſo limine ſecuritatis eſſe ſollicitum? cauſſa autem hæc eſt, quòd inanes omnium bonorũ ſimus, quorum in fine vitæ deſiderio laboramus: nemo quã bene viuat, ſed quãdiu, curat; cùm omnibus poſſit contingere, vt bene viuant, vt diu nulli.*

PRODIGVS. Quomodo viuẽdum?

VIRTVS. Viue vt mori deſideras. Non trãſeo hîc Senecam: *Tum te felicem eſſe iudica, cùm poteris in publico viuere: cùm te parietes tui tegent, nõ abſcondent: quos plerumq; circundatos nobis iudicamus, non vt tutiùs viuamus, ſed vt peccemus occultiùs. Rem dicã ex qua mores æſtimes noſtros. Vix quemquam inuenias, qui poſſit aperto oſtio viuere. Ianito-*

Qua vita ineunda.

res cõſcientia noſtra, nõ ſuperbia oppoſuit: ſic viuimus, vt deprehẽdi ſit: ſubitò aſpici. Quid autẽ prodeſt, recondere te, & oculos hominum aureſq; vitare? bona cõſcientia turbam aduocat: mala etiam in ſolitudine anxia atque ſollicita eſt. Si honeſta ſunt quæ facis, omnes ſciant: ſi turpia: quid refert, neminẽ ſcire, cùm tu ſcias? O te miſerum ſi cõtemnis hunc teſtem! Hinc illud etiã Pythagoræ: *Turpe quidpiã nunquã facias, nec cum alio, nec tecũ: ſed omnium maximè teipſum reuerere:* magis etiam Deũ: in cuius oculis etiã cogitationes tuæ: viue proinde vt etiam minimarum harum redditurus rationem illi quem effugere nihil poteſt. Addo hîc illud Epicteti: *Mors & exilium, & omnia quæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidie verſentur: omnium verò maximè mors: ſic nihil vnquam humile cogitabis nec impensè capies quidpiam,* & viues bene: nec enim permittet ſeriò cogitata mors viuere malè.

PRODIGVS. Quo modo ſecuram vitam degam, metu vacuam?

Vitæ ſecuritas in quo conſiſtat.

VIRTVS. *Terrorum obliuiſcitur quiſquis pia & honeſta facit.* Naumachij eſt: vis extra omnem metũ eſſe? extra crimina

mina te ſtatue timor à ſcelere eſt: intrãquillat hoc mentem: nec quiſquã maior animorum carnifex ſcelere eſt: nec dormientem patitur ſecurum: vt non immeritò Iuuenalis:

Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit — *Inquietã vitã inter ſcelera duci.*
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multò ſæuior illis
Quas & Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamantus,
Nocte dieq́; ſuũ geſtare in pectore teſtẽ.
Has patitur pœnas peccãdi ſola volũtas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet: cedo, ſi conata peregit
Perpetua anxietas, nec menſa tempore ceſſat,
Faucibus vt morbo ſiccis, intérque molares
Difficili creſcente cibo.
Nocte breuem ſi fortè indulſit cura ſoporem,

Digitized by Google

Et toto verſata toro iam membra quieſcunt,
Continuò templum, & violati numinis aras, &c.
Hi ſunt qui trepidant & ad omnia fulgura pallent,
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cæli,
Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed.
Irat⁹ cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit: cura grauiore timetur
Proxima tempeſtas, velut hoc dilata ſereno.

Hæc criminũ pœna, vt in æterno nos metu ponant: fuge. & tranquillitatem ſpõdeo, eo maiorem quo remotior ab omni ſcelere eris. Vis etiam in perpetuo gaudio eſſe? Deũ reuerere & ama: nulla æquari illis gaudia poſſunt, quę diuinorum amor largitur: pura ſunt, nullóque mœrore permiſta, timore nullo. Claudo: ama, gaudebis, & quamdiu amor, tam diu gaudium: inenodabili hæc nexu iuncta: nunquam incomitatus amor eſt; æterno ſibi fœdere gaudia iungit. Vitæ verò ſecuritatẽ promittit Epictetus, ſi curam

ram tui cõmiſeris Deo, illiúſq; nutui obſecutus fueris. *Actorẽ eſſe fabulæ talis, qualis magiſtro probata fuerit, te memẽto: ſi breuis, breuis; ſi longa, lõga, ſi mendicum agere te voluerit, fac eam quoque perſonam ingenioſè repræſentes. Hoc enim tuum eſt, datam perſonam bene effingere: eam autẽ eligere, alterius.* Dei nimirum, à cuius delectu humana hæc pendent, quæ breui vitæ huius comœdiâ cõtinentur: felix ille qui non claudit fine tragico; infelix qui in tragœdiã vertit infortunato, ô nimiùm! exitu. Securam vitam promittit Seneca: *Vt ſecurè viuas, reconciliatio tua & facilis ſit & certa: timeri autem tam domi moleſtum eſt quàm foris, tam à ſeruis quàm à liberis: nulli non ad nocendum ſatis virium eſt. Adiice nunc, quantũ timetur, timet: nemo potuit terribilis eſſe & ſecurus.*

PRODIGVS. Quomodo ſecurus pœnarum & præmiorum viuam.

VIRTVS. *Si fueris mentè pius, nihil mali patieris mortuus: ſuperius manet in cœlo ſpiritus.* Epicharmi verba ſunt. Bene vixiſſe, bonæ mortis ſemita & dux eſt: mortẽ bonã prẹmia ſequũtur: pœnarũ verò metũ mors bona exclu- *Quis viuat pœnarum ſecurus & præmiorum.*

dit, mortis malæ vita bona. Quare ſi ſecurus velis eſſe præmiorum, immeritis memẽto nõ dari præmia: ſudoribus hæc parantur, & intuere exempla omniũ quos cælo donatos legis: quorum ſudores, ſanguis, vulnera, horum & præmia ſunt: nam & quorum certamina, horum & victoriæ; quorum victoriȩ, horum & coronȩ & triũphi. Vis deinde ſecurus viuere pœnarum? vitam probam nullæ comitantur pœnæ: delictorum hæ ſunt: probitatem ergo cole, & extra pœnarũ metũ eris Vis aliquid propiùs? Chriſti tui veſtigiis inſiſte, & ſecurus pœnarũ viues: præmiorum etiam ſecurus: non potes errare veſtigiis illius inhærendo, potes ſæculi: quid ſequeris dubia in re æternitatis; tuta ãplectere, & pro incertis certa delige: certa Chriſti incerta ſæculi veſtigia ſunt: illa ad præmia, hæc ferè ad pœnas ducunt, nullo æuo ponendas, nullo mitigandas, illa ad præmia nulla æternitate ponenda, nulla minuenda.

Quæ vita diuiti inſtituenda.

PRODIGVS. Quid faciã in opibus?

VIRTVS. Vtere vt rationẽ redditurus, vt dubiis, vt alienis, vt fidei tuæ

con

congreditis, largire vt tuas:contemne, infra genus tuum ſunt: indignę cui animus obſequatur, cælo & Deo natus, ſeruire tu illas doceas: pudeat famulari, etiam contemne, ne te contẽnant, ad contemnendum obiiciant, & quid sũt opes, ſi te intueris: indigniſſimæ quibus nobiliſſimam mentem, viuam Dei imaginem, ſubiicias. Odium etiam illarum Theognides ſuadet: *Diuitias odi, quia mala multa docẽt dolos pernicioſaſq; lites.* & Phocylides: *O aurum malorum dux vitæ pernicies, omnia deiiciens! vtinam non eſſes mortalibus malum amabile! propter te enim pugnæ, prædæ cædeſq; ſunt, liberiq; parẽtibus infenſi, fratreſq; conſanguineis.*

Addo: cælum illis mercari diſcito: leui pretio æternatura parantur præmia: quis non leuem arenam magno lubens vendat auro, quis non paleam gemmis? & auro & gemmis maius cælũ eſt: arena & palea minor pecunia eſt ſi cæleſtibus cõponas. Claudo verbis Dñi in terrorẽ, in fugã, in cõtẽptum: *Amẽ dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum: & iterum dico vobis: Facilius eſt camelum per* Matth. 19.

fora

foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnū cælorum,&: *Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram:* at contrà: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.*

Luc. 6.

PRODIGVS. Quid in paupertate?

Quæ pauperi.

VIRTVS. Nemo nolens pauper eſt. ad diuitias vocātur omnes: extendenda manus eſt: vltro illas ſpōdet Deus: animorum dico: quæ ſolæ, quæ veræ diuitiæ, nunquam poſſeſſorem ſuum fallentes. Audi quid Phocylides dicat: *Nemo pauper eſt, qui ſe extra fortunæ potentiā poſuit:* extra hanc ponere ſe omnes poſſunt: poſuit qui cōtempſit? contemptus facilis eſt, æterna cogitanti & Deum: & quæ gloria homini maior, quā pariari Deo? paupertatem hic delegit: poterat opes: neglexit: malum ergo paupertas eſſe non poteſt, cùm eam delegerit Deus quid ergo times coniungi bono? time malo.

Gaude ergo paupertate, ſiue vltro illam Dei tui exemplo amplexus fueris; ſiue ab illo donatā acceperis: non ſolet quæ ſibi delegit niſi pro beneficio largiri: beneficia verò, niſi ingratus audire velis, grata mēte accipiēda;

maximè

Digitized by Google

maximè à Deo, qui cæleſtis regni heredes dominóſq; pauperes ſtatuit. Felix paupertas quæ cælorũ regna amatoribus ſuis largitur: coronat nimirum diuitátque cælo quos pauperat terris: beata, munereq; ſuo fortunata. Sed grauis paupertas eſt: ambienti illam cum Chriſto ſuo grauius eſſe non poteſt: leuis eſt, onera neſcit: & vis aliquid à Seneca? *Qui continebit ſe intra naturalem modum, paupertatem non ſentiet: qui naturalẽ modum excedet, eum in ſummis opibus quoq; paupertas ſequetur:* indigebit enim plurimis, nec ſatiabitur potius. Addit: *Pecunia nihil ad animũ pertinet; non magis quàm ad Deos immortales omnia iſta, quæ imperita ingenia, & nimis corporibus ſuis addicta, ſuſpiciunt. Lapides aurũ, argentũ, & magni leuatiq; menſarũ orbes, terrena ſunt pondera: quæ nõ poteſt amare ſincer⁹ animus, ac naturæ ſuæ memor; leuis ipſe, & quãdoque emiſſus fuerit, ad sũma emicatur⁹ interim quantũ per moras mẽbrorũ: & hãc circũfuſam graue ſarcinã licet, celeri & volucri cogitatione diuina perluſtrat:* in iis diuitias ſuas agnoſcit, & amat: quibus nulla vi ſpoliari poteſt, nulla exui.

Quis modus in aduerſis tenendus.

PRODIGVS. Quid in aduerſis?

VIRTVS. Gaude, quòd è bonorum numero habearis: & exulta hoc Dei de te iudicio: qui bonos delegit, quos aduerſis committeret: ac ne verba dare crederes, fecit in Filio: malè voluiſſe cæleſtem Patrem æterno ſibi Filio, ingens blaſphemia eſt, nec alia quàm diabolo nata: bene ergo voluit, & vita illius iam inde à Betlemitico ſtabulo aduerſis tanquam perpetuo filo conſuta duris ergo exercuiſſe amoris fuit: aut ſi non fuit, non amauit Filium Pater: ſi amauit, & per aſpera duxit; duxiſſe per hæc, amaſſe fuit non duxiſſet; non amaſſet: duxit, quia amauit, nec alia teſtatior in Patre amoris ſignatio fuit. In te ergo ab eodem amoris fonte aduerſorũ torrentes profluere, arbitrare: quod ſi certò tibi perſuaſeris, gratias pro beneficio ages quòd te Filio æquauerit Pater, cum eodem coronandum, & præmio donandum æterno.

Quid aget in inualetudine corporis.

PRODIGVS. Quid in corporis inualetudine?

VIRTVS. Neſcis meriti plenã inualetudinem eſſe? feres Deus illam

ſug

ſuggerit præmiorum materiam. Et quispaulò generoſior indoluit occaſionem ſibi præberi oſtentandi roboris & aut dolor in ægritudine magnus, aut paruus eſt: ſi paruus, ferri poteſt; ſi magnus, premere diu non poteſt: emittet in portum, & optatis nos littoribus reſtituet, Iã quãti vltrò dolores ſubierũt? plenæ ſũt omnes hiſtoriæ: quanti loricati, cinere & ſacco induti, inedia propè flagris enecti, omnibus ſe lætioribus ſpoliarunt? Non & apud ſæculum athletæ à luxuria ſe continent, & potu lætiore cruciantur fatigantur, vt robori ædificando vacent? nimirum, vt quo plus ſudauerint, hoc plus de victoria ſperẽt: quod illi perituræ gloriæ, tu in inualetudine fortiter ferenda largire diuinæ, tibi, æternitati cui natus es.

Prodigvs. Quid in mœroribus?

Virtvs. Miſce læta triſtibus: nam vt ille, *tetrica ſunt amœnanda iocularibus:* oppone proinde mœrori gaudia: ac vbi ſe doloris cauſa protruſerit, tu hilaritudines obiice. Examina deinde mœroris tui cauſſã: occaſionẽ dediſti? datam nolles: non dediſti: vide an

tolli

tolli poſſit: nõ poteſt? quid te crucias? non dictum verè, *Abiecti animi eſt res magni facere quæ nõ ſunt in tua poteſtate?* potes cauſam tollere? tolle: negligis? tibi imputa. Vide etiam an hic tibi mœror cõmunis cum multis, an cum perpaucis, an in te ſolũ cadat: ſi cum multis, communem fortunã perfer: ſi cum paucis, percurre hos paucos, intuere qua frõtis & oculorum conſtantia ferant: & imitare fortes: nam ignauos imitari, ignaui & degeneris à Chriſtiano pectore animi eſt. Vide etiam, quales hi ſint, probi an improbi: ſi probi, gaude pariari probis, & hoc Dei de te iudicio, gratulare tibi: ſi improbi, cogita, an in delicti pœnã, an ſecùs: ſi primum, de delicto dole, dáque operam vt fortiter ferẽdo, debitum exſoluas, delictũ deleas. Bene olim à Philoſopho: *Iniuria lata ratione delicti, non eſt iniuria, ſed correctio*, ſed iuſtitiæ expletio: de cuius expletione dolere non debes, debes de cauſa à te data. Si in te ſolũ mœror irruit, verte in bonum malum: facies, ſi magno animo tuleris: excutere potes? excute: non potes? obdura: maiorem ferendo

quàm

quàm excutiendo gloriam referes: quòd ſi verò aduerſi tibi aliquid accciderit mœroris cauſa, memento, neminem fortunam illæſum tranſiſſe niſi ignauum: nolo te in hoc numerò eſſe: in eo velim, qui prouocare etiam in plenum fortunam audeant, ſimilem illi cuius meminit Poëta: qui

Ridebat curas, nec nõ & gaudia vulgi.
Interdum & lacrymas, cum fortuna ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumq́ oſtenderet vnguem.

Nullæ hîc cadent lacrymæ, cadent etiam minitanti fortunæ; minæ, & maiores minis minæ: nolo ex iis de quibus idem cecinit:

Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna iocari.

qui ad primum non dico telum, ſed vaniſſimas expaleſcunt minas, & ſtruunt balnea lacrymis. Ex illis volo, qui ludere etiam medio Oceano Aquilone ſæuiente didicerunt, qui prouocare etiam Neptunum & irata maria: non illi amicum qui

nunquam dixerit brachia contra
Torren-

Torrentẽ, nec ciuis erat, qui libera poſſet
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.

Ingloriam hîc vitam ducet, & timoribus natabit. Et ne lõgior ſim, quem tu vlla ætate putas fortium magnorúmque virorum in perpetua felicitate fuiſſe? quem nauclerum in perpetua malacia? iam quę vnquam altitudo non habuit paratam ruinam? quibus montibus non incũbunt præcipitia & valles? & cùm vniuerſum orbem, omnémque retro ętatem animo inambulaueris, quid propè, niſi vulnera, ſanguinem, ferrum, venena, odia, mortes reperies? circumſpice dein eos qui tecum viuunt: vide quid ſingulis euenerit aduerſi: & ſolare te tantorum exemplis, aliorúmque lacrymis lacrymas deſicca tuas.

PRODIGVS. Quid in proſperis?

Quæ ratio tenẽda in proſperis.

VIRTVS. Tanquam aduerſis obruẽdus: metus hîc animos mitigabit & molliet, nec permittet in inuidioſo faſtigio ſecurũ oblitúmque ſui fortunæque viuere; ſed deprimet efferentem, monebitq; inconſtantiæ ac fraudũ: proponetq; exempla eorum, quos

quos inopinantes, è medio felicitatis curſu, aut è ſummo illius vertice, infidis manibus orbi ludibriũ protraxit. Nihil verò in ſecundis laudatum magis, modeſtia ac comitate in omnes, facilitate, benignitate. Illud prudẽtis, multos ſibi in proſperis amicos paraſſe, plurimoſq; beneficiis, omniq; humanitatis genere obſtrinxiſſe; ab aſperioribus deniq; & quæ cuiuſquã contumeliam redoleant, fortiter abſtinuiſſe, ab iiſque maximè quę contemptum etiã viliſſimorũ referant.

PRODIGVS. Quomodo propitiam mihi ſortunam parabo?

VIRTVS. Stoicus pro me reſpondebit: *Errant, qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicãt tribuere fortunã: materiam dat bonorũ, & malorũ, & initia rerũ apud nos, in bonũ malúmve exiturarum. Valentior omni fortuna eſt animus: in vtramque partẽ ipſe res ſuas ducit, beataq; ac miseræ vitæ ipſe ſibi cauſa eſt: malus omnia in malũ vertit, etiam quæ ſpecie optimi venerant: rectus atque integer corrigit praua fortunæ, & dura atque aſpera ferendi ſcientia mollit: idemq; & ſecunda gratè excipit modeſteq;, & aduerſa cõſtanter*

Fortuna ac fortuitorũ contemptus.

ter atque fortiter. Et quid quæris à fortuna? opes, honores, voluptates? non ſunt in ſalutem: nec fortiũ, ſed ignauorum dona ſunt: conſule omnes cœlo iã inſcriptos, & diſce quid ſentiãt: quãquam nihil opus verbis, res verbis potentiùs certiuſq; loquuntur: vis aduerſa, & æquari in illis generoſa imitatione Chriſto tuo? animũ para: non deerunt: neminẽ hæc bonorum intactum tranſierunt: ad te etiam venient: ſequere interim Theognidem: *Tolerare oportet quæ dant Dÿ hominibus mortalibus, facilemq; ferre vtramq; ſortem*: magis etiam ſequere Chriſtum, iam inde à ſtabulo ad clauos & crucem gradientem, & præmia ſpera.

PRODICVS. Quid faciam inter epulas & pocula?

Quis modus inter epulas tenendus.

VIRTVS. Ciborum parcus, parcior poculorum eris: naturæ interim ſatisfacies: at paucis hæc dimittitur: pauo an hordeo, vino an aqua ventrẽ replcas, nihil intereſt: perdet quidquid acceperit. Sed ſociæ te prouocãt menſæ: memento Alexãdri, Holofernis, Antonij, Lot, Simonis, Noë, Amnonis, aliorũ: illud etiã: quo ferè plus

pocu

poculorum, hoc minus hominis ſupereſſe: indormit enim inſepulta ratio poculis: nec iam homo, ſed bellua omni inferior eſt.

Et quis ferat medico poculo rationem ſibi ſuffurari? deteriùs cùm à manu tua hoc fiat: quis prudens, imò quis homo, vltrò hominem ſuum exuat, vt beſtiam induat? quaſi pudeat hominem eſſe, beſtiam non eſſe: iam quis, cui ratio, valetudinem vltrò perdat, ſalutem prodigat, ridẽdúmque ſe omnibus propinet? facit quiſquis profuſior in poculis eſt. Non poſſum hîc omittere Epicuri verba, vt à voluptatum magiſtro temperantiã diſcamus. Seneca refert: *Cùm adierint hos hortulos, & inſcriptum hortulis, Hoſpes hîc bene manebis, hîc ſummum bonum voluptas eſt: paratus erit iſtius domicilij cuſtos, hoſpitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque largè adminiſtrabit, & dicet: Ecquid bene acceptus es? Non irritant, inquam, hi hortuli famem, ſed extinguunt: nec maiorem ipſis potionibus ſitim faciunt, ſed naturali, & gratuito remedio ſedant. In hac voluptate conſenui. Venter pręcepta nõ audit, poſcit, appellat: nõ eſt tamen*

men

men moleſtus creditor, paruo dimittitur. Non arbitreris hæc ab intima Thebaide, ab Antonij & Pauli menſa venire? quo magis erubeſcere debemus, vinci ab Epicuro Chriſtianum: ſubnecto hîc illud Epicteti: *Quæ corpori ſeruiunt, eatenus adhibeantur, quatenus animo ſunt vſui: veluti cibi, potus, amictus, ædes, ſeruitium: quidquid autem ad oſtentationem aut delicias attinet, repudiato.*

PRODIGVS. Quid ſi mulier oblata fuerit?

Caſtimoniæ laus, voluptatum contemptus.

VIRTVS. Nolo hîc quidquam ex Euangelio. Senecam audi de omni libidine: *Licet auaros mihi, licet vel iracũdos enumeres, vel odia exercentes iniuſta, vel bella: omnes iſti viriliùs peccant: in venerẽ ac libidinem proiectorum inhoneſta labes. Omnia iſtorũ tempora excute: aſpice quãdiu cõputent, quamdiu inſidientur, quamdiu timeant, quamdiu colant, quamdiu colantur, quantũ vadimonia ſua atque aliena occupent, quantum conuiuia, quæ iam ipſa officia ſunt videbis, quemadmodũ illos reſpirare nõ ſinant, vel mala ſua vel bona.*

Voluptas vita pecoris.

Audi quã fortiter alibi: *Voluptas bonũ pecoris eſt: magnã vitã facit titillatio corporis? quid ergo dubitabis dicere, bene eſſe hominí,*

Digitized by Google

homini, ſi palato bene eſt? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, ſed inter homines, cuius ſummum bonum ſaporibus, coloribus ac ſonis cõſtet? Et ex Demetrij ſententia: *Voluptas fragilis eſt & breuis: faſtidit obiecta: quo auidiùs hauſta eſt, citiùs in contrarium recidens, cuius ſubinde neceſſe eſt aut pœniteat aut pudeat: in qua nihil eſt aut magnificum, aut quod naturã hominis, diis proximi, deceat: res humilis, membrorũ turpium ac vilium miniſterio veniẽs, exitu fœda. Iſta eſt voluptas & homine & viro digna, nõ implere corpus, nec ſaginare, nec cupiditates irritare, quarum tutiſſima eſt quies.* Ex ſua etiã: *In præcipiti eſt voluptas, ad dolorem vergit, niſi modũ teneat: modũ autẽ tenere in eo difficile eſt, quod bonum eſſe credideris: veri boni auiditas tuta eſt. quid ſit illud interrogas, aut vnde ſubeat? dicam. Ex bona conſcientia, ex honeſtis conſiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorũ:* Et Chriſtianè monet: *Dimitte iſtas voluptates turbidas, magno luendas: non ventura tantùm, ſed præterita nocent: quemadmodum ſcelera etiam ſi non ſint deprehenſa, cùm fierent, ſolicitudo tamen cum ipſis abit: ita improborum voluptatum, etiam poſt ipſas, pœniten*

Quid ſit voluptas.

In quo vera voluptas ſita.

Digitized by Google

pœnitentia eſt. Non ſolidæ, non ſunt fideles, etiamſi non nocent, fugiunt: aliquod potius bonum manſurum circumſpice: nullum autem eſt, niſi quod animus ex ſe ſibi inuenit. Sola virtus præſtat gaudium perpetuum, ſecurum: etiam ſi quid obſtat, nubium modo interuenit, quæ infrà feruntur, nec vnquam diem vincunt.

Videamus etiam propiùs, non ad Dominica præcepta, ſed conſilia Philoſophos accedentes: *Pulchrum eſt corpus caſtum habere, intactéq; manere virginem, & puris ſemper cogitationibus delectari.* Naumachij verba ſunt: quis Euãgeliſtarũ caſtiùs? Sed & terret pœnis. *Mortuorum ſtatim non caſtæ mentes, pœnas luunt:* fortiter omnino, piè & Chriſtianè: & ad diuinorum conſiliorum in Paulo perfectionem excurrit Phocylides: *Virginitatem cuſtodi.* Paulus ſuadet & optat, non imperat: Phocylides aliquid ſuprà nudum conſiliũ addit. Veniamus ad res ipſas. Tertullianus docebit: *Gẽtiles Sathanæ ſuo & virginitatis & viduitatis ſacerdotia perferunt. Romæ quidem quæ ignis illius inextinguibilis imagine tractant, auſpicia pœnæ ſuæ cum ipſo dracone curãtes, de virginitate*

Caſtitas laudata

nitate cenſentur. Achææ Iunoni apud Aegium oppidum virgo ſortitur, & quæ Delphis inſaniunt, nubere neſciunt. Cæterùm viduas Africanæ Cereri aſſiſtere ſcimus, duriſſima obliuione matrimonij adlectas, hæc diabolus præcipit, & auditur, Prouocat nimirum Dei ſeruos continentia ſuorum, quaſi ex æquo. O continentiam gehennæ ſacerdotum! Quid turpius quàm Chriſti ſeruum, à diaboli ſeruo vinci in continentiæ palæſtra?

Verùm mulier eſt ſola: nunquam ſola eſt, quæ Deum habet inſpectorē, teſtem, iudicem: & ſanè erubeſcere vir caſtus debeat, ſolus à muliere deprehenſus, *tam ſancti* enim *viri eſt ſuffundi ſi virginem viderit, quàm ſanctæ virginis ſi à viro viſa eſt.* Tertulliani eſt qui etiam adumbrari femineam vult faciē, quo magis vbera, quę vſque ad cælum ſcandala iaculantur: atque hinc ſeria illa monita: *Omnium in te ætates periclitantur, induc armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec oculos tuos emittat, nec admittat alienos*: fuge quiſquis ſalutem amas: & illa vultuum, magis etiam vberum proſtibula deuita, quo maiora

Mulierū fuga.

in his quàm in vultu incendia ludunt, potentioréſque de propinquo ignes iaculantur, pluſque teneritudine ac mollitia ſua illabuntur. Vbicunque ergo mulier obiecta, oppone Deum, cælum, ignes: & vt hæc abſint; pudeat virum ſubdere colla mulieri, pudeat vinci: à deteriore ſexu meliorem; à tá fragili validum: infelix quiſquis femineo ſubſtratus iacet iugo: à viro virum vinci ferendum: à muliere virum, ignauiſſimi pectoris eſt.

Momentaneam deinde voluptatem, fœdam, volaticam, erubeſcendam anteferre cælorum puriſſimæ, caſtiſſimę, æternæ, fatuum: & quid ſi in ipſo delicti momento mors opprimat delinquentem? factum multis: quid ſi è multis tu ſis vnus, ferâ in æternum pœnitudine? hæc cogita, & magnis animis frena huic belluæ iniice, perde ne te perdat: nec patere ob has fugitiuas ſordes, nobiliſſimam animam, magni Numinis imaginem opibus honoribus, voluptatibus, præmiíſque excludi æternis, flammíſque æternùm addici æternis.

Prodigvs. Quis modus tenendus cum vxore? Virtvs.

VIRTVS. Nec dominam patere, nec ancillam arbitrare: vt filiorum matrem habe, vt alteram manum tuarum, vt animæ partem, vt ſecundarum aduerſarumque rerum ſociam; tuus in illa, illius in te ſpiritus vertatur: ſic fiet vt illi conſulas, quia tibi; tibi, quia illi bene vis, non aſſueſcat minùs caſtis, ne admirari incipiat & amare, non loquacibus, otioſis, vinoſis contubernalibus: etenim *Bonos corrumpunt mores congreſſus mali*, per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica, otium amores aliò flectit, vinolentia impudentiam docet, curioſitas libidinum ſecum plauſtra trahit nulla eiuſmodi feminarum ſecuras viro noctes dabit, non vacuum thorum, non viduum cubile. Cultus modeſtus ſit: quid enim curioſior mulier quærit? placere? ſatis illi, ſi placeat marito: diſplicentia in alieno, caſtitatis comes eſt: neque de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis ſcimus. Sed periculum illi nullum eſt: quæ minùs veretur, minùs præcauet, plus periclitatur: timor fundamentum caſtimo-

Vxor quomodo habenda

A quarũ conſuetudine remouẽda.

niæ eſt, præſumptio impedimentũ timoris: & quid ſi illa non periclitetur, cùm in illa periclitentur alij? nam quò omnes illę in veſtibus pompæ deliciarũ? non de proximo curant luxuriæ negotium, & obſtrepunt pudicitiæ diſciplinis? non mutuo ſe decore ornamenta proſtituunt? naufragus nimirum decor exornatus eſſet: accedit cultus, morienti ſcilicet flammæ ligna, frigori iritamentum. Sed genus & opes aliud ſuadent: nullum genus modeſtiæ regulã egreditur: nullis opibus conceſſum alienos prouocare oculos, aliorúmque ignibus ſuos alere: nulla in muliere nobilior purpura, pudicitiâ: nullus cultior ornatus, probitate: nullus gratior habitus, verecundiâ: nullũ venuſtius pigmentum, modeſtiâ, his ornatæ Deum habent amatorem, laudatorem, præmiatorem.

PRODIGVS. Quid cum liberis?

Quomodo liberi. VIRTVS. Cogita quales deſideres, educatio dabit: quòd ſi bonos natura dederit, gaude: & addere etiam aliquid memento huic bonitati, inuigilaque ne aliorſum deflectat: ſi degeneres; ne deſpera: corriges educatione: regula

hæc

hæc naturæ eſt: quod ſi breui compendio optimos voles, optimus ipſe eſto: nonniſi ad exemplar praua corriges, nec ſatis eſt verbo pręire: factis debes: nam ſi probis verbis improba patris facta repondeant; factis inſiſtent, deſtituent verba: quales ergo filios voles, talem te prębe: probum probi ſequentur, improbum improbi: plus tamen aliquid ſeueritatis quàm indulgentiæ oſtendes; plus venerationis quàm familiaritatis, hęc illam minuit, & contemptum etiam adducit: maturitas patrem decet, abiectio ſeruos: vis obſequentes? timeant: vis in obſequio conſtantes? ament, vis caſtos? nihil tibi excidat impurum: etiam caſtam maritalis tori fuge licentiam. Nec parce delinquentibus: perdit qui parcit: interimit qui indulget: ſeruat qui punit: non probo nimiam ſeueritatem, magis tamen damno nimiam indulgentiā: mediocritas ſemper laudata. Optimis deinde magiſtris erudiendos trade: in quorum delectu, non tam eruditionis, quàm probitatis rationem habe: maiora enim ab hac quàm illa ſperanda: eruditio probitate

nudata, noxia: probitas, etiam erudi- tione ſpoliata, ſaluti erit: vtramque ſi iunxeris, filios beabis.

PRODIGVS. Quem amicũ deligam?

VIRTVS. *Nunquam malum virum amicũ fac fidelem, ſemper fuge tanquam malum portum*, à Theognide hæc veniunt. Virum ergo probum deliges, exulant ab hoc fraudes, ignorat probitas dolos: improbum verò tamdiu fidum experieris, quamdiu commodum te ſibi ſenſerit: cũ ſpe, amicitia effluet, ſibi enim, non alteri, amica improbitas eſt. Et quis fidum improbum ſperet, qui nec Deo, nec ſibi fidus eſt, factus proditor ſui ſalutiſque ſuæ? probum verò, amiciorem etiã aduerſa dabunt: non cedit probitas aduerſis, creſcit, ſed nec amor illius langueſcit, roboratur: plus enim virium exerit, cùm neceſſitas grauior incurrit, operámque ſuam latiùs in amici indigentia explicat, & quid ab improbo ſperes? parem te illi mores facient: ne fide probitati tuæ: potentior in ſequelam improbitas eſt: vicinior hęc naturæ, ac quaſi innata; remotior probitas eſt, & à cælo petenda & ſperanda. Monitorem etiam

In amicũ quis deligendus.

iam habebis probum ſicubi à rectitudine deflexeris: improbus damnare improba non poteſt : propellit magis propendentem, etiam ſtantem impetu exemplóque ſuo impellet, neque quiſquam diſſimili gaudet, ſimilem deſiderat cuius moribus oblectetur: nam ſi diſſimilẽ moribus amat, ſuos damnat, & diſiungimur ferè animis qui diſiungimur moribus: morum enim diſſimilitudo parit, ſed neque *expedit habere amicos, qui metum augent vanum, ſed qui tollunt: amicitia ad conſolandum paratur*, para fortem, conſtantem, ſecreti tenacem, modeſtum, pium.

PRODIGVS. Quomodo me habebo in aliorum congreſſibus?

VIRTVS. Beneuolentię modeſtiam iunge, nemo te his vincat: comitate nemo, moroſitatem verò fugè, verborúmque aſperitatẽ, contẽptúmq; aliorum ac riſũ: nulli te præfer, poſtpone omnibus, referes cedẽdo primas ſi primas quęris: viderique velis paruus, ſi magnus velis: aliena laudes vt alieno lauderis ore, non tuo: damna neminem, commiſit quis damnanda? tuere

Quis modus tenẽdus in aliorũ congreſſibus.

ſi potes: non potes, leni: & ignorare illa malis, quã ſcire, parcus verborum, audiendi facilis, ad obſequia pronus, cõmiſerationibus indulgens, doctus mœrentes ſolari, depreſſos erigere, reparare fractos, exanimes excitare, & in ſpem meliorum prouocare.

PRODIGVS. Quomodo cum dignitate & opibus maioribus?

Quid faciendum in maiorum conſuetudine.

VIRTVS. Venerare, time: ne effunde te in nimiam familiaritatem, ne audire cogaris quod nolles: cedere nõ potes? congreſſum deuita: ferre faſtum honorum opúmque comitem non potes? ne accede, neglectum ferre non potes, non potes imprudentiam, opibus ac dignitatibus plurimùm ſociatam? familiaritatem fuge: eruditione fors ac probitate vincis honoribus & diuitiis vinceris, nec ſubmittere his faſces potes? ſecede: ne fortè ad reprehendenda decurras, & damna referas, fere enim pericula magnitudini coniuncta: quare aut maiorum te, perfer mores, aut conſuetudini te ſubtrahe, non potes? ferendi mores ſunt, iniuria etiam non rarò accipienda & negligenda, quin adeò inter beneficia ponen

ponenda, & gratiæ agendę nec committe, vt qui dedit, ſentiat te pro iniuria accepiſſe.

Amicitiæ verò illorum qui apud Reges aut Principes potentes ſunt, cautè ineundæ: *applicari illis magis expedit, quàm implicari, ne pluris remedium, quàm periculum conſtet. Nihil tamen æque prudenter quàm quieſcere, & minimum cum aliis loqui, plurimum tecum. Eſt enim quædam ſermonis dulcedo, quæ irrepit, & blanditur, nec minùs quàm ebrietas, aut amor ſecreta producit: nemo quod audierit tacebit: qui rem non tacuerit, non tacebit auctorem, habetq́ unuſquiſque aliquem, cui tantum credit, quantum ipſi creditum eſt: vt garrulitatem ſuam cuſtodiat, & contentus ſit vnius auribus, populum faciet: ſic quod modo ſecretum erat, rumor eſt.*

Prodigvs. Quomodo cum Regibus?

Virtvs. Quod cum ignibus, quis prudens vltrò ſe immittat flāmis? certiùs tutiuſque à remotiore, quàm à propinquo incaleſcimus: amburit vicinitas, & pro calore, ignes effundit, cū interiora interim gelu algeant: vte-

Quid in Regū familiaritate.

te ergo vt ignibus: & vbi percalueris, ſecede: noxium ferè diutiùs hæſiſſe, & quid facis ſiti & fame prementibus? modica reſtinguunt: copia obruit, non ſatiat: fatigat, non explet, & non morborum pleraque à cibo & potu immodico? idem cogita in Regum amoribus: & non prudentis eſt, tantum cibi potúſque ſumere, quantum ſanguinis boni vita depoſcit? nam ſi oneras, ad mediocritatem inedia & ferro redigẽdus ſanguis eſt, ſi valetudini conſultum velis. Exempla deinde terreant ſpongiarum illarum in omni propè ſceptro & regno: ita omnis altitudo præcipitio proxima eſt.

PRODIGVS. Quomodo cum tyrannis?

Quid in tyrannorum contubernio.

VIRTVS. Quod cum fulmine: alta feriunt, tranſeunt proſtrata: quo remotior, tùtior eris, incidiſti in tyrannum? à ſola modeſtia ſperare ſubſidia potes: at, ſi potes, ſecede, & ſubtrahe te publicis muneribus, ignorari proinde malis quàm cognoſci: cognitio in tyranno, ruinæ ſæpè proxima eſt, extulerunt te ſupra vulgus opes & honores? damna metue, peccare potuiſſe, peccaſſe

peccaſſe ſub tyranno eſt: multa verò poſſediſſe, peccaſſe eſt. Nero nos docet. Non fert tyrannus ſurgentem ad magna, ſuſpecta enim illi omnis magnitudo eſt, meminit quibus artibus ad magna venerat: eaſdem in ſurgentibus metuit, ſuo ingenio reliquos metiens: fuge, periculo ea res proxima eſt, ſecuritati enim ſuæ dum tyrannus inuigilat, omnia tuta timet, ſecátq; quidquid illam turbat: verè an opinione nuda pro eodem habet: quare tollit quidquid metum ingerit, nec ſanguini parcit.

PRODIGVS. Quo modo conſtitutus inter hoſtes?

VIRTVS. Nil damna, damnanda ſilentio tranſi, ſi quæ laudem mereantur, lauda, ſuſpecta interim habe omnia, dicta, facta: ac dum nulli fidis, fiduciā ſimula, dúmque ſingula curioſiùs perſcrutaris, incuriam & neglectū finge, in omnibus verò te habe vt ſub iudice, ſub tortoris gladio, ſed neque hoſtilia conſilia admitte, memor inimica eſſe, amica eſſe non poſſe, nec magis his te crede, quàm calcaneo inſidianti colubro, quàm lupo oue

Inter hoſtes quid faciendū.

ſua veſtito, quàm mari ſecuritatẽ promittẽti. Inter tamen tam infida, fidem hoſti pręſta: ne falle, dare non debebas ſi fallere cogitabas: dediſti? ſerua, memento Reguli, Fabij Maximi, Ioſue.

PRODIGVS. Quid apud inferiores?

Quæ ratio tenenda apud inferiores.

VIRTVS. Faciles omnibus aures præbe, neceſſitatibus proſpice, vltrò beneficiis prouoca: benignumq́ue & munificum te ſentiant, vt amare diſcant: facient, ſi amorem tuum nõ tam verbis, quàm rebus teſtatus fueris: amari verò velis, nõ timeri: illud filiorum in patres eſt, hoc ſeruorum in dominos: at quanto certiora patrum in filios, quàm dominorũ in ſeruos imperia ſunt? ęternant ferè filiorũ in parentes obſequia, affectũ ſerui pręmio metiuntur, nec vltra pręmia obſequia, quę ſi ſuſtuleris, hoſtes ex ſeruis erunt, & hi quidem cùm præſentem dominũ colant, tum abſentem damnant: filiorum etiam in abſentes obſeruatio eſt, & plurimùm maior.

PRODIGVS. Quomodo me habebo in pauperes?

VIRTVS. Quo in te diuites eſſe velles,

les,ſi grauis te egeſtas premeret :clarè Phocylides:*Plena manu egēti miſericordiam exhibe:*& alibi:*Mendico ſtatim da, neque cras reuerti iube:*plena manu,non retracta,dari iubet,nec beneficiū procraſtinandū: bene:te cōſule,velles differri tibi? & nō bis dare cēſent omnes celerē donatorem,nō dare moroſum? adeò vt beneſicia etiam huius, inter maleficia potiùs quàm inter beneficia numeremus : emptiones hæ ſunt, gratuita dona non ſunt : magno enim pretio veniunt, quæ magnis precibus veniunt : & venditio non munus eſt, quod tam carè venditur.

Liberalitas in pauperes.

Dabis ergo pauperi ea manu, qua accipere à Deo dona velles:velles diuite? largire diuite : & prudens fœneratur pauperi. Diuitem Dominum pauper habet, qui centuplam redhibitionem ſpondet : dubitas ? fidem habes Principi, mercatori ; quo magis Deo: qui, cùm pro paupere fidem ſuam interponit, centuplicata præmia ſpōdet: quæ dubitandi cauſſa?non credis Deo, cùm credas homini ? aut maior hîc tibi Deo, certior Deo? ſponſionéſque illius diuinis firmiores ſunt? ille pro

amico

amico ſpondet, & fidem inuenit; ſpõdet Deus pro paupere, & fide deſtituitur. Vide quid ſentiat Rex magnus:
Prou. 14 *Qui miſeretur pauperis honorat factorẽ eius.* Audi interminantem: *Qui obdu-*
Prou. 21. *rat aurẽ ſuã ad clamorẽ pauperis; & ipſe clamabit, & nõ exaudietur.* Audi præmiantẽ: *Honora Dominũ de tua ſubſtãtia,*
Prou. 3. *& de primitiis omnium frugum tuarum da ei, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt:* Nec in hac tantum, ſed in altera vita.
Prou. 14. *Qui miſeretur pauperis, beatus erit.* Atque hinc illud Domini: *Facite vobis a-*
Luc. 16. *micos de mãmona iniquitatis, vt, cũ defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula:*
Dan. 4. Audi peccata eluentẽ: *Peccata tua eleemoſinis redime, & iniquitates tuas miſeri-*
Prou. 11. *cordiis pauperũ.* Audi paradoxantẽ: ſed verè: *Alij diuidunt propria, & diuites fiunt; alij rapiunt non ſua, & ſẽper in egeſtate ſunt.* Diues eſſe deſideras, profũde in egentes opes: fœcundus ager eſt, centuplo te fœnore beabit. Audi proegentem *Beatus qui intelligit ſuper e-*
Pſal. 40. *genum & pauperẽ: in die mala liberabit eum Dominus,* in die iudicii, die elemẽtorum colliſionibus prænotata: cum audi-

auditurí ſunt: *Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis regnū à conſtitutione mundi:* cauſſam ſubdit: *Eſuriui enim, & dediſtis mihi mãducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere: hoſpes erã, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere erã, & veniſtis ad me.* Claudit, & ſibi munificentiam arrogat: *Quãdiu feciſtis vni ex his fratribus meis mininis, mihi feciſtis.* In æterna præmiatione, punitione æterna ſolius liberalitatis in pauperes, & auaritiæ meminit: non quòd illa ſola præmia & pœnas promereantur; ſed quòd liberalitatis prærogatiuam velit oſtendere, & ad illa nos prouocare. *Mat. 25.*

PRODIGVS. Quid faciam in delinquentes.

VIRIVS. Facilis in veniam, tardus in pœnam eris: ſed neque vlla vnquã pœna incomitata: ſociam illi manſuetudinem iunge: ſi in delictum, ignoſce: & ex hoſte amicū ſpera: habes hoc in Cæſare, Auguſto, Tito, aliiſque plurimis in alta gẽtilitate: quo magis Chriſtianum decent: quoties verò deliquit in te quiſpiam, cogita quoties tu in Deum: & confer hæc inter *Facilitas in delinquentes.*

Digitized by Google

ſe numero, magnitudine: illud etiam, quid in te velles poſt delicta ſtatui à Deo, ſtatue in delinquentem.

PRODIGVS. Quid faciam in dignitate conſtitutus?

Quis modus tenẽdus in dignitate conſtituto.

VIRTVS. Ne efferaris honoribus: ſed quo extolleris magis, hoc te dimitte magis, ſi tutam vitam voles, ſi coli, ſi amari, ſi extra inuidiam & odia eſſe multorum: & non glorioſius, alieno ore & calamo, quàm tuo efferri? quid? quòd plus ſemper alienæ laudis ſperare debeas, quo te magis abieceris? ſequitur fugientem gloria, fugit ſequentem: ſed & inuidia odiáque honorum comites, deſtituunt humilem: fraudes, venena, ferrum modeſtia comitáſque excludunt: beneuolentia & humanitas hoſtiles animos frangit, lenit, mitigat: pateat dein domus tua omnibus, vt omnium, non tua eſſe videatur: quóque te maior dignitas prouexit, hoc obſequentior in omnes ſis: vincent obſequia, quos offendit dignitas: quòd ſi benignitas moderatioque cùm honoribus creuerint, vt iiſdem gradibus quibus honor creſcit, modeſtia creſcat, viciſti: creſcet enim

enim amor in te omnium; nec odiſſe poterunt à quo dignitate vincuntur, cùm vincantur modeſtiâ.

Prodigvs. Quid faciam in legationibus?

Virtvs. Fidem Principi tuo ſerua: nullæ te minæ, tormenta, munera ab hac diuertant: vitæ morúmque integritatem hoſti dabis: nulli pectus recludе; non fratri, non patri, non cõiugi: tibi & Principi tuo intactum illud cuſtodi: rimentur intima, & concredita tibi, fraudes, dona, ferrum: altiùs commiſſa effodias, quàm vt vllæ manus tangant: comitate, humanitate, benignitate, ciuilitate, nulli cede: modeſtiâ vince omnes: abſit iactantia hoſtiumq́ue vituperatio: atque ita te totum cõpone, vt etiam barbaros hoſtiles mores; pro tuis habeas: ſingulorum verò apud hoſtes dictorum, factorum, conſiliorum diligens obſeruator, diligentior etiam cuſtos; ac cùm parciſſimus ferè verborum, tum audiendi liberaliſſimus ſis: dona ne tange, donorum ipſe munificus: quiſquis enim illa admiſit libertatem vendidit: & non cum illa fidem? affectuum oſtia

Quæ potiſſima in ligationibus obſeruãda.

muna

munera ſunt: amare diſcet, dediſcet odiſſe, quiſquis dona admiſit, fidemq́ue vendidit quicũque fidei pretiũ accepit: etiã patriam, patrẽ, liberos, cõiugem venalem habebit munerũ amator: non vincunt prima? vicent ſecunda: & viam prima ſternunt, aditumque ſecundis parant: numero cadimus qui non cadimus ſingulis: ita ſæculorum propugnacula tormentis cedunt validiora tormentis, omniq́ue apparatu bellico munera ſunt: vicit aurum quod nullum ferrum, nullæ hoſtiles machinæ: exemplorum plena ſunt omnia.

PRODIGVS. Quid in conſiliis ac iudiciis?

Quod cõſiliarij ac iudicis munus.

VIRTVS. *Omnibus iuſtè tribue, nec ad gratiam trahas iudiciũ: quòd ſi malè iudicaueris, Deus te poſtea iudicabit.* Phocylidis ſunt Chriſtianè omnino: nec facilè in iudicio peccabit, qui ſingula ſua ad Dei iudicium reuocat: ſcit hunc nihil poſſe latere, nihil illi inuolutum & dubium, animorumq́ue abditiſſima medio lucidiora die eſſe.

Ignora proinde pauperem, ignora diuitem: omnis tibi reus peregrinus; omnis

omnis,ciuis:rem intuere, ſepone perſonas, munera nec manus norit,nec animus, quidquid etiam lucri ſpem facit,time, nam & ſola ſpes noxia iudici,quæ etiã viri boni animũ,ſi non frãgit,fatigat,ac pondere nõ raro ſuo ad terram deducit,ita etiam validiſſimos impoſita humeris onera deprimũt,& ad terrã flectunt, accidit idem animis incuruantur munerum pondere,erecti; molleſcunt duri, liqueſcunt firmi ſolidique;ſubſidunt robore pleni; reliquiſque inuicti vitiis,auro victi iacent.

Prodigvs. Quid faciam accepto beneficio?

Virtvs. Nunquam illud animo excidat,nuuquam vllo æuo moriatur, viuat memoria in te æterna,ac, ſi potes, paria aut maiora etiam redde, vt cum fœnore accipiat qui dedit,nõ potes? ne cede voluntate, & pro beneficio obſequia largire nec hæc quidẽ potes? effunde laudes: nemo ad has pauper eſt:& magnũ beneficiorũ pretiũ laudes ſunt:ingratus accepta tegit, gratus prodit:ille extenuat, hic auget: ille dolet ſi agnoſcere cogatur, hic gaudet

Gratitudo in benefactores.

gaudet: ille ad merita ſua, aut aliò tráſſert, hic ſoli beneuolentię & amori in ſe tribuit: ille largientis commodis, hîc ſuis aſcribit: fuge ingrati mores nulli magis, quàm Deo inuiſos. Omni certè amore ac beneficio indignus, odiorúmque digniſſimus eſt, quiſquis beneficiorũ obliuiſcitur: magis etiam ſi beneficia maleficiis rependat: nam & vita hîc indignus eſt: nec Chriſtiani iam, ſed nec hominis nomen meretur, omni bellua immanior, quæ non ſemel iteratis beneficiis, beneficiorum memoriam teſtatæ ſunt.

PRODIGVS. Quid conſilij ne quod crimen incurram?

Innocẽtia vitæ quo modo paranda, & peccata vitanda.

VIRTVS. Monet Epicurus: *Aliquis vir bonus nobis eligendus, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſi tanquã illo ſpectante viuamus, ac omnia tanquam illo vidente faciamus.* Addit Seneca: *Magna pars peccatorũ tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat: aliquem habeat animus quem vereatur cuius auctoritate etiam ſecretũ ſuum ſanctius faciat. O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat! magnum cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quẽ reſpicias, quem intereſſe*

Digitized by Google

intereſſe cogitationibus tuis iudices: ſic viuere tanquam ſub alicuius viri boni ac ſemper præſentis oculis: omnia nobis mala ſolicitudo perſuadet: opus omnino aliquo ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant: niſi ad regulam praua non corriges. Tu non hominem, ſed Deum propone inſpectorem, omnium conſcium, iudicem, præmiatorem, qui nihil impunitum, nihil irremuneratum tranſit. *Si verò Deum homo aliquis putat aliquod ſcelus latere dum peccat, ille errat.* Naumachij eſt: cõfirmat Pindarus: *Vbicũque omnia reſpicit Deus* Nihil huic obſeratũ, non pectus, non animus. Deum ergo præſenté intuere, quoties moleſtior cogitatio exſurgit, & repoſita cęlo pręmia, ſi reſiſtis; inferiorum pœnas, ſi annuas.

Prodigvs. Quid faciendum poſt delictum?

Pœnitentia poſt delictum.

Virtvs. Doctè Seneca dum pronitaté in delicta, prauámque in iis conſuetudiné deſcribit, terret. *Ad deteriora faciles ſumus: quia nec dux poteſt, nec comes deeſſe: & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit. Non pronum eſt tantùm ad vitia, ſed præceps. Et quod pleroſque inemẽdabiles facit, omniũ aliarum artium*

artium peccata artificibus pudori ſunt, offenduntq́; deerrantem: vitæ peccata delectant. Non gaudet nauigio gubernator euerſo, non gaudet ægro medicus elato, non gaudet orator ſi patroni culpa reus cecidit: at contrà omnibus crimen ſuum voluptati: quo difficilius remediũ eſt, cùm quæ ſunt vitia, virtutes habentur, aut generoſæ indolis facta: & inter laudãda, crimina ponimus. Aliud nos docet Regum maximus Dauid, in ſacco, cinere, lachrymis: cecidiſti cum Rege? exurge cum Rege, & ingemina illud purpuræ, *Peccaui Domino:* & illud: *Miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Peccaui, & malum coram te feci:* accedant lachrymæ, ſingultus, preces: nihil lauando potentius lachrymis: Magdalena nos docet: nihil emolliendo fortius ſingultibus: Publicanus nos docet: nihil exorando validius precibus: Latro nos docet.

Nec differ cum Euangelio diuite, cum Baltaſare in alteram diem: neſcis an quæ negata illis, quæ tot orbe toto millibus, concedenda tibi ſit: imitare pueros: exurgunt poſt lapſum, aut fletibus auxilium depoſcunt: nemo illa

illapſus ignibus; inhæret; eripit ſe, ſi poteſt: nemo hauſto veneno remedia negligit; nemo accepto vulnere medici manum refugit: ignis crimen eſt, oſſium etiam emedullans robur: venenum eſt, noxio ſuo ſucco animam perimens; letale vulnus eſt, ſola Dei manu medicandum.

Et quid facis fame & ſiti preſſus? reſtringuis ſi potes: ſitit animi eſuritque poſt delictum, potu cibóque cæleſti deſtituta: quid faceres denique hoſtibus cinctꝰ? eriperes te ſi poſſes: in omni ſcelere hoſtibꝰ cingeris, inermis armatis: eripe te illis: ſola te eripere pœnitẽtia poteſt: ſolus exoratus Deus. Plerique naufragio liberati, exinde repudium naui & mari dicunt, & Dei beneficium, ſalutem ſcilicet ſuam memoria periculi honorant, tu ſcelerum fluctibus innauigans portum reſpice, incumbe remis, donec optata gratiæ conſequaris littora, donec tibi & Deo reſtituaris: quod quamdiu non conſequeris, etiam in purpura miſer eris: tutus non eris. Imò audi non me, ſed Senecam: *Prima & maxima peccantium pœna eſt, peccaſſe: nec vllum ſcelus,*

licet

licet illud fortuna exornet muneribus, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Addit, *mala facinora cõſcientiâ flagellari, & plurimum illi tormẽtorum eſſe, eò quòd perpetua illam ſollicitudo vrget & verberat, quòd ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere.* Subiungit: *Hoc ipſum argumentum, Epicuri eſt, natura nos à ſcelere abhorrere, quòd nulli non etiam intra tuta timor eſt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminẽ: quare? quia infixa nobis eius rei auerſatio eſt, quã natura dãnauit. Ideò nunquam fides latendi fit latentibus: quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit: proprium autem eſt nocentiũ trepidare.* Vis extra omnem metum eſſe: aut non peccãdum eſt, aut redeundum à peccato eſt: certius ſecuriúſque, non peccare: ſecunda ſecuritas, peccatum pœnitẽtia & prece diluere. *Dat pœnas quiſquis exſpectat: tutum ſors aliqua res in mala cõſcientia præſtat, nulla ſecurum: putat enim ſe etiam ſi non deprehenditur, poſſe deprehendi: & inter ſomnos monetur, & alicuius ſcelus loquitur, de ſuo cogitat:* ne cogitet, ne perpetuis timoribus natet, offenſo recõcilietur numini:

ni:magis etiam:ne offendat. Addo his Epicurum. Audi docẽtem, modúmq; in delicto præſcribẽtem: *Initium ſalutis notitia peccati:nã qui peccare ſe neſcit: corrigi non vult: deprehendas te oportet, antequam emendes. Ideo quantum potes teipſum coargue:inquire in te:accuſatoris primùm partibus fungere, deinde iudicis nouiſſimè deprecatoris.*

Prodigvs. Quid faciam manè vbi me è ſomno proripuero?

Virtvs. Memor Dei, gratias pro beneficiis age:de nocturna protectione gratias: roga pergat eadẽ te manu tueri. Diuæ deinde Matris auxilium implora: hanc tibi patronam delige, & tutelarem Dominam:mater eſt:nihil de matris in te animo dubitare potes:largitus tibi hanc Chriſtus in matrẽ teſtamento, quod morte ſignauit: reuocare legatũ morte firmatum non poteſt: æternùm ergo illa tibi mater, æternaturo filij teſtamento conceſſa: tu fac æternùm illi ſis filius, moribus, vita, imitatione, amore. Angelo etiam Cuſtodi, cui tradita cura tui, gratias habe, & nouè te illi commenda:noui beneficij prouocatoriũ gratitudo eſt.

Quid faciendum è ſomno ſurgenti.

R

PRODICVS. Quid ſub noctem antequam me ſomno dedero?

Examen conſcientiæ ſomno præmittendum.

VIRTVS. Pythagoram monentem audi, & ſequere: *Nec ſomnum mollibus oculis inducas, priuſquam diuturnorum operum ſingula ter animo percurras, quò tranſit? quid egi? quid oportunum omiſi? incipiẽs autem primò percenſe: dein turpibus commiſſis, increpare; bonis, delectare: hæc labora: hæc meditare: hæc te amare decet: hæc te ad diuinæ virtutis veſtigia ducent.* Audi Senecã & imitare: *Animus quotidie ad rationẽ reddendã euocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die cùm ſe ad nocturnã quitem recepiſſet? interrogaret animũ ſuũ: Quod hodie malum tuũ ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melioręs? deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad iudicem eſſe veniendũ. Quid ergo pulchrius hac cõſuetudine excutiendi totũ diẽ? qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? quàm trãquillus, altus ac liber, cũ aut laudatus eſt animus: aut admonitus, & ſpeculator ſui cẽſorq; ſecretus cognoſcit de moribus ſuis! Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſſam dico: cùm ſublatũ è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia,*

conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo: quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſim dicere: Vide ne iſtud ampliùs facias, nunc tibi ignoſco? In illa diſputatione pugnaciùs locutus es: noli poſtea congredi cum imperitis: nolunt diſcere, qui nunquam didicerunt. Illum liberiùs admonuiſti quàm debebas: itaque nō emendaſti, ſed offendiſti. Hæc Philoſophus & Stoicus, & in altiſſima gentilitate.

PRODIGVS. Quid faciam vt Deo placeam?

VIRTVS. Audi Philoſophum. In re diuina Philoſophum? etiā imitare. *Deum reuerere & time.* Audi alterum: *Vis Deo propitiare? bonus eſto: ſatis illos coluit, quiſquis imitatus eſt*: omnia verbo complexus: & ſanè expleuit legem quiſquis imitatus Deum eſt: etiā conſilia, in quibus ſummum Chriſtianæ perfectionis eſt. Quid times? veſtigia hominis ſunt, non Dei tantùm, quæ imitanda propono: non eſt graue hominē ſequi. Deum fòrs graue foret, ſi tantùm Deus: nunc, cū Deus ſe homine ſuo tuoq; veſtierit ne verere ſequi.

Modus placendi Deo.

Digitized by Google

i præmia.

Hunc deinde tibi omni loco propone monitorem, magiſtrum, ducem, patrem, iudicem præmiatorem: nihil verò aggredere inauſpicato Deo: ille factis, dictis, conſiliis, cogitationibus interſit; nec vlla res eat ſine huius ductu: quidquid verò ab hoc voles, preces dabunt. Naumachiũ audi: *Gratificatur Deus proborum hominum precibus.* Fortiùs alter? *Deus piis gloriam immarceſcibilẽ impertit.* Non credis Philoſophis? crede Deo: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur,* & alibi: *Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*: denique, *Omnia quæcunque petieritis in oratione credẽtes, accipietis.* Quare niſi mendacẽ redarguamus Deũ impetrabimus rogata: ille mihi ſemper prudens, qui ita rogauit, vt rogata cõmitteret Deo, in pari tranquillitate futurus, ſecurúſq; ſui, ſeu referret, ſeu petitis fruſtraretur: & quid non audeat Chriſtianus, cum inclamantẽ è gentilitate audiat?

Precibus Deus pacandus. *Matth. 7* *Luc. 11.* *Ioan. 14.* *Mat. 21.*

Duc

Duc me parens, celſiq́ dominator poli,
Quocũq; placuit nulla parẽdi mora eſt,
Hic verè Chriſtianus magnúſq; animus eſt, qui ſe totum tradit Deo: puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè ęſtimat, & emendare mauult Deũ, quàm ſe. Non tranſeo hîc Epictetum, vide in quo pietatis religioníſq; in Deũ caput ſtatuat. *Religionis erga Deos immortales præcipuum illud eſſe ſcito, rectas de iis habere opiniones: vt sẽtias & eſſe eos, & bene iuſteq́ adminiſtrare vniuerſa: parendũ eſſe eis, & omnibus iis quæ fiunt acquieſcendum: & ſequenda vltro, vt quæ à mente præſtantiſſima regantur. Sic enim nec incuſabis eos vnquam, nec ab eis negligi te conquereris: libandum autem & ſacrificandum, & offerendæ primitiæ ſunt, ritu patrio: caſtè, non luxurioſè, nec indiligenter, nec ſordidè, nec ſupra facultates.*

Deo cura ſui permittenda.

PRODIGVS. Quid dicam? ſileo? audiam ingratus: eloquor? beneficiorum vincor magnitudinę: media inſiſto via: gratias habeo: nõ quas debeo, nec quas mereris; à cælo hæc ſperanda: ſed quas vellem: ſoluóque voto, quod officio nequeo: addo: ſequor monen-

Gratias pro inſtitutione Virtuti agit Prodigus.

tem: ne dubita, non fallam: nec aliud, omnium, præterquam voluntatis bonæ, egenus, habeo quod reddam: imitabórque monentem: *tamquam ſterilis arbor, cùm non habeam opera pro pomis, ſpargo verba pro foliis.* Quòd ſi delictum humano more intercurrerit, tu mihi ſemper tutum, è media tempeſtate, littus, & certè, ſi te noui, aderis mœrenti, cùm non ad epulas, ſed ad vlceroſæ conſcientiæ lacrymas euocaberis: aderis, quæ è profundo me nunc errorum gurgite feliciſſima piſcatrix extraxiſti, docuiſtique, quibus intima depaſcebantur incendia, oculorum potiùs quàm torrentium ac fluminum aqua extingui: quamquam & ſui oculorum torrentes ac flumina, te duce ſint, omnibus Oceani aquis meliora.

Opā depoſcit.

Virtvs. Adero, ne dubita: quamquam, ſatis in hoc ętatis, & ô nimiùm! aberraſti: nollem iterari ſcelera, ne improuidum mors occupet, & ſerò medelam circumſpicias: occurrit prudens malis, ſtultus exſpectat, & ante prouida remedia ridet: tu cùm priore excuba: timere qui didicit, periclitari dedidicit

Operam ſuā Virtus ſpondet: monet.

dedidicit: ſed neq; corpori animóq; indulge: plerũq; enim amara hauſtu, ad ſalutẽ valent, & triſtib⁹ ſuccis affecta reformãtur, reſigulari credas: quare acribus potiùs quàm lętioribus delectare: roboramur duris; moleſcimus ſuauibus: & cùm aduerſa firmãt, eneruant proſpera: illa te docebunt quid credi cuique poſſit, quid debeat, ſecunda fallunt: ita nec gubernatoris artem tranquillum mare oſtendit: aliquid occurrat neceſſum aduerſi, quod animum doceat: ſic etiam medicum in morborum deſperatione, militem in armato hoſte & ferro, cognoſcimus: quorum famam præcedentia pericula extollunt.

Quare, ſi delectus in manu tua fuerit, ardua delige: ita nulla gloria è profugo ante congreſſum hoſte, ſed ab armato venit: & glorioſior quiſq; fugientem inſequi dedignatur, gaudet aduerſario qui ferrum ferro animat: ignauus & timidus ſæuit in fugientem: & quis virorum ferrum ſtringit in mulieres & pueros? quare nec in degeneres & muliebris animi viros; ſcit enim nullã ab his ſperari laudem

poſſe: hoſtem quærat, cui ſe componat animus magnus, & ſub quo etiam cecidiſſe non illaudatum fuerit: imitare: nunquam deerit cum quo in animorum certamen deſcendas.

Prodigvs. Ita conabor, mea virtus: nec moleſtior nunc ero pluribus: nollem humanitatẽ copia fatigare. Non omitto tamen tres magni Barberini verſus, quos induſtrius doctorũ ſcriniorum compilator ſuperioribus ad me diebus miſit. O furem purpura dignum, qui omni nobiliores purpura verſus, tam certò miſit, quàm feliciter rapuit! viuent, ſi qua fides meo calamo, ſi qua ætas poſthuma: ſciéntque omnes, nihil purpurato parente illorũ, iuſtiſſimo Romanæ eloquentiæ ac nitoris hærede, eruditus, elegantius ſæculum hoc tuliſſe: atq; vtinam reliqua ingenij illius magni, pari felicitate, animo maiore, doctiore calamo, amica aliqua manus prodat!

Vtinã doctas magni Frederici Boromęi, magníque Scipionis Cobellutij noctes ſudatamq; lampada, fortunata dextera profuturo ludat aſtu, & publici iuris faciat, aut huic fidat calamo!

lamo!ego premam?quod Euangelicus cæcus:ô quamdiu differtis, ſæculi noſtri ſterilitaté eruditis imbribus fœcundare? ô quis docta effringat ſcrinia,vt amico ſpoliati furto,fruſtra indoleát qui nó flectútur precibus!quis mihi Cóciones agrarias, quis ciuicas, quis reſeratã Apocalypſim,quis ſcripturæ reliqua, quis Inſtitutionum volumina Boromæa manu?quis Cobellutia Græcas Latináſque lucubrationes? reprimo calamum:quo enim nuda vota? ô timidæ domeſticorum manus! magnum hîc pietatis genus eſt ſuffurari: audete, & in obſcuro iacentis famæ receſſu deliteſcentes, artifice pióque furto publicate. Sed intro hæc meliùs peragantur:nam dum vota ſpargo, quid niſi in arctiorem cuſtodiam prouoco? erit fòrs aliquis cui publica priuatæ potior pietati, audeat aliquid docto hoc dignum ſæculo: ita voueo: ego quæ accepi ſpargo:quo certiùs ſpinas meas Quirinalibus inoculem roſis,naufragúmque decorem meum purpurâ veſtiam.

ADOLESCENS PRODIGVS.

MAGDALENÆ LACRYMÆ,

AMOR, EXILIVM, GAVDIA.

STROPHE I.

INNIXA *pennis verſicoloribus,*
Bumbyce fulgens diuite,
Molles reuincta floribus
Crines, procaci fronte, lubricóque
Adſpici vultu, facilíque dulcis
Flexu loquela cordibus imperat
Mortalium: quos dum beare creditur
Interimit, ſuaui præbens ſub lacte venenum,
Atque truces molitur Hyæna
Sæuior inſidias,
Nouuſque Protheus mille formas induit,
Vt ſacra leges Themidis reſoluat,
Blanda voluptas.

ANTIS

ANTISTROPHE I.

Hac innocenti ſanguine dexteram
Regis Dauidis polluit,
Quo nullus antè gratior
Regi ſupremo cælitum: capillis
Indidit cæſis tibi vincla Samſon,
Vt te ſuperbis traderet hoſtibus,
Quem nulla vis potuit ferocem ſubdere:
Huius & impulſu fallacia numina
Diuûm
Diuinum dignatus honore eſt
Rex ſapiens Salomon;
Qui conditori ſiderum quondam pius
Inclytam ſumptu celebrémque gaza
Struxerat ædem.

EPOD I.

Quid Magdalenam mirer incautam
premi
Dura compede vinctam
Diræ ſub domina iugo
In flore primæuo iuuentæ?
Quid excolentem corporis
Numine poſt habito decorem?
Illa comas olim gemmis ornabat & auro
Studens amantibus videri pulchrior,
Pubemque gaudens cernere

Lentis ignibus uri.

STROPHE 2.

At cùm ſororis vocibus anxiis
Chriſtus prebantis annuit,
Almo iubente Spiritu,
E parte cœli deſilit ſerenâ,
Regiam vittis redimita frontem
Puro coruſcans lumine Gratia:
Vt pulcra nubes Iridis coloribus
Depictas pedibus premit, & felicis oliuæ
Defert donatura coronam.
Protinus his radiis
Icta cadit artus detegens, & exhibet
Tabidâ nolens cute ſe videndam
Fœda voluptas.

ANTISTR 2.

Tu Magdalene diſcutis inſitas
Mentis tenebras iacens
Immane monſtrum conſpicis
Non antè viſum. Quo pudore malas
Inficis? Quales gemitus profundis?
Iam margaritas ponis, & aureos
Incompta crines prodis, & Chriſto ream
Te ſiſtis, lacrymiſq; pedes veneraris obortis,
Atque ſacras mœſtiſſima plantas

Lambis,

Lambis, & imbre rigas,
Comisq; tergis, & relata negligis
Proba, mox culpis capis exoluta
Pignus amoris.

EPOD. 2.

Amánſque amantis igne Chriſti feruida,
Flagris membra cruentans,
Priſcos prouida ſanguine
Extinguis ignes, & fideli
Amore conſtans, greſſibus
Impauidis ſequeris magiſtrum,
Per gladios haſtáſque crucis miſerabile pondus,
Hæres ſepulchro lachrymans: & exerat
Seu condat vndis ſol iubar,
Comples queſtibus auras.

STROPH. 3.

Amor pericli neſcius horridi
Vt morte perſtat fortior!
Fruſtra frementis æquoris
Iudæa frendens obiicit procellis,
Te neci damnans! moderantis expers
Nautæ phaſelus, non ope remigis,
Velive currit humidas pelagi vias:

Se

Se placidi ſternunt fluctus, ſe lucidus
æther.
Nube carens ventisq́ ſerenat.
Iam Paphon atque Rhodon,
Cretámque linquit, iam Zacynthi littora,
Et Cephalenum legit, Arctiáſque
Proſpicit oras.

ANTISTR. 3.

O quæ trecentis hæc freta nauibus
Regina ſulcans, Cæſarem
Armis laceſſens, vltimam
Regnis parabas Italis ruinam:
Patrio pulſam lare Magdalenam
Si fluentis ludibrium maris,
Eſcam futuram piſcibus, nunc cerneres
Cælicolas inter diuini nectaris hauſtu
Sublatam ſuper æthera veſci,
Deliciiſque frui
Cæleſtis aulæ, quid tibi mentis foret?
Quid decor formæ, Phariuſq́ fastus,
Sceptráque proſunt?

EPOD. 3.

En luce functa habes pudendam regij
Solùm nominis atro
Regni è funere gloriam.

Nec

Nec læta vixiſti ſuperſtes
Vix vna puppis reddidit
Te patrio profugam Canopo.
Conderis, & viuens latebris abſtruſa ſepulchri,
Coacta mox lethum ceraſtæ morſibus
Vltro ſubire, Cæſaris
Subducenda triumpho.

STROPH. 4.

At Magdalene per Siculum fretum
Rabiem Charybdis præterit
Secura finéſque Italos
Egreſſa, tendit Gallicas ab vrbes.
Huc Dei nutu, Superúmque ductu
Appulſa portum Maſſiliæ tenet.
Nomemq́; Chriſti gentibus diſſeminat.
Hinc abrepta colit pendens in montibus antrum
Quod frontem prope ſidera tollit.
Hic gemit & lachrymat,
Hîc Angelorum cœtibus canentium
Adſtat, hîc vnum meditata Chriſtum,
Se quoque neſcit.

ANTISTR. 4.

O me patrato crimine ſordidum,

O me

O me iacentem reſpice
Dux alma pœnitentium:
Te Chriſtus audit, nam tuis ſepulchro
Excitat fratrem precibus: furentis
Te de draconis faucibus: exirnit,
Et limpidas è rupe lymphas elicit.
Salue cara Deo rupes, fons inclyte ſalue,
Iam Pindi mihi culmina ſordent:
Tu ſacra lympha precor
E corde prome lachrymas, pro carmine
Execror myrtum, mihi det coronam
Ramus oliuæ.

EPOD. 4.

O ter beatum, qui dolore percitus
Vitæ turpiter actæ
Labes flectibus eluit,
Virtutis in regno! vel ipſis
Vero referta gaudio
E lachrymis oritur voluptas.
Nil tamen in tuto mortalibus, vltima donec
Recludat hora cuique ſortem. Gloria
Perennat vna cælitum
Extra vulneris ictum.

MAGNI

Digitized by Google

MAGNI MARTYRIS LAVRENTII TRIVMPHVS.

STROPHE I.

IBera tellus Auſtrio
Sub Rege felix, aurifero Tagi
Te dicant alij flumine nobilem,
Te claſſe, te bello ferocem:
Oceani dominam celebrent, regniſque potentem:
Hîc Perüanis diuitem metallis,
Mexici gazis, Arabumq́; conchis,
Et mercedis Goæ beatam
Te laudat: fera prælia
Extollat alter, & triumphos Caroli,
Ac temperatis viuidum
Conſiliis animum Philippi.

ANTISTROPH. I.

Te concinam Laurentij
Sacro parentum lumine fulgidam:
Non illi facie funeris horrida

Immane

Immane tortoris repertum
Excuſſit ſolida veræ pietatis amorem
E mente: palmis nobiles & oſtro
Clarus en inter proceres decorem
Indutus æternum, phalangis
Addit ſe comitem Duci,
Cui ſaxa primùm poſt trucem Chriſti necem
Coniecta probo gloriam,
Interitu peperere vitam.

EPOD. I.

Acres quid iras aggeras Rex barbare?
Impauidus contemnere nouit
Hiſpanus iuuenis Regum fera iuſſa: quid flagellis
Nuda membra ſaucias,
Curuis & hamis lancinata carpis?
Fortis reſiſtit: heu! quid impium ſtruis?
Mens hæret: trepidat. Quibus
Dire tyranne feris,
Te quibus exæquem Colobi ſæuiſſime monſtris.

STROPH. 2.

Flauas ad vndas Tybridis
Lactauit altrix huberibus lupa

Infantes

Digitized by Google

Infantes geminos: pinnigero puer
Delphinis in dorſo natantis
Sæpè Dicarcheo ludens è littore viſus:
Et vulnerati pro pedis medela
Hoſpitem narrant hominis leonem:
Nunc inter atroces ferarum
Incurſus pauidum canis
Vt blandiens adiuit adgnitum leo,
Ambóſque pubes Romuli
Obſtupuit ſibi gratulantes.

ANTISTROPH. 2.

Seu priſca verum proferat,
Seu fingat ætas: aſpide ſæuior,
Hyrcanisq́ feris mens hominis furit:
Non vrſus inſectatur vrſum:
Non perimit colubrum coluber, non tigri-
da tigris:
Humana virgas gens, rotas,& vncos
Intulit terris,pedibusq́ mortis
Aptauit alas: quid Perilli
Infandum memorem bouem?
Nec ſontibus,vel hoſtibus ſolùm minax,
Sui miniſtram gaudij
Perniciem cupit innocentum.

EPOD. 2.

Te matricida,te lues mortalium

Inceſſit

Digitized by Google

Inceſſit tam dira cupido:
Nam facibus paſſim incenſam populatus ignis Vrbem
Te iubente, fletibus,
Clamore luctu, cladibus, ruinis,
Complens, in atri verterat formam rogi:
Tunc lætus fidibus canens
Diceris excidio
Auſus Troiano miſeram componere Romam.

STROPH. 3.

Quò Muſa Dirces prouehunt
Te vela? ferri per tragicos amas
Terrores? rutilum ſidus Iberiæ
Atlantis emergens ab vndis
Te reuocat dira toſtus Laurentius olim
In crate: formæ nec decor, nec ætas
Ferreos flectunt animos tyrannus
Deridet abſterſum cruorem
Cæleſtis pueri manu:
Ludi ne vanis perferam præſtigiis?
I miles, inquit: perditus
Det meritas reus igne pœnas.

ANTISTROPH. 3.

Et ecce raptim ſtrenuus

Athle

Digitized by Google

Athleta Chriſti traditur ignibus:
Hos inter thalamus vectibus æreis
Compactus excepit iacentem.
Tres, ô Iordanis pueri decus Iſacidarum,
Vt veſtra flammis emicat probata
Diſpari virtus celebris corona,
Quos par adegit cauſa morti
Vltro exponere pectora?
Non vos Dei ira militum cohortibus,
Equis & armis obſtrepens
Terruit, aut ſonitus tubarum:

EPOD. 3.

Non vos furentis Regis atrox commouet
Aſpectus: Nos, dicitis, ô Rex
Non aurum aut ſtatuas colimus: Deus
Iſraël colendus
Ille ſolus eſt Deus:
Fruſtra catenis alligas lacertos,
Et nos in ignes coniicis: nam præpotens
Illæſos Deus eruet,
Si volet, atra licet
Fluctuet vndanti flammarum vertice
fornax.

STROPH. 4.

Nec vana ſpes: innoxius

Vos

Vos lambit ignis vitreus vt liquor,
Non auſus teneram lædere corporum
Cutem: ſed horrens infremit, voraxq́ꝫ
Fertur in adſtantes ardenti membra vapore
Hauſturus: in vos obſequens, fauenti
Dum Deo grates canitis, furorem
(Res mira) compeſcens, aenis
Victos nexibus accipit,
Reddit ſolutos, vinctus ipſe, languidus,
Inermis. At Laurentium
Lethiferis petit acer armis.

ANTISTROPH. 4.

Arctæ coërcent compedes,
Nudumq́ꝫ prunis còncolor æs cremat,
Iam corpus corripit impetu,
Iam flamma proſerpens adurit,
Et carmen vorat, & graciles depaſcitur artus.
Immotus heros, vt doloris expers,
Vt roſas inter, viridéſque myrtos
Ferale tormentum virili
Spernit pectore, dum trunci
Adipem liquatus igne manat, lumina
Auertit intuentium
Terribili laniana viſu.

EPOD.

Epod. 4.

Aſſatus ille, geſtiens plenus Deo
Solui nexu corporis, inſit
Ore renidenti, Fumant tibi iam tyranne, cocta hæc
Membra: mande, veſcere:
En aula cæli ſe mihi recludit.
O quàm beatè moreris? inclytus magis
Inuictiſſime Martyrum
Nullus obire poteſt:
Hostibus inſultas victor, cadis hostia Christo.

Stroph. 5.

Dat dirus tibi Mempheos
Pœnas tyrannus. En ſuorum concidit
Ferro peremptus ſertáque laurea
Mutat cupreſſi frondibus.
Túque dimiſſus, redimensq́ captos,
Oppreſſosq́ graui ſeruitÿ iugo,
Appellis Aces littoribus ratem:
Hîc te Christicolæ tenent
Ut ſis certa cadentium
Tutela rerum haud te trahunt paterni
Commoda regni,
Nec genitricis amor, procerum nec vota precéſque.

Antis

Digitized by Google

ANTISTROPH. 5.

Non eſt quæ premat acrior
Te cura, quàm Chriſti ſuperbos frangere
Hoſtes, & almo nomine gentium
Delere cultus impios,
Nec pium belli ſtudium remittis,
Donec te Libye ſanguine diffluens
Palma potitum, corporis exui
Artis nexibus aſpicit.
Nunc ô verticis accola
Cæleſtis, audi quas preces decorum
Pallida vultum
Relligio mœrens lachrymis tibi fundit obortis.

EPOD. 5.

Inuicte Rex, en Gallia
Iuncta eſt rurſus Iberiæ
Sanguinis vinclis: animos & arma
Fac iungat arctum fœdus: heu quot conficit
Europa ſe diſcors in oris!
Squallet Punica tellus:
Te deuincta vocat Græcia compede,
Iordanes vocat, & ſacrum
Chriſti ſepulchrum vindicem moratur.

DIVO

Digitized by Google

DIVO LVDOVICO GALLIÆ REGI SACRVM.

STROPH. I.

OBIECTV *gemini maris*
Illinc Pyrenes, arduis hinc Alpium
Præcincta muris, ingenio ſoli,
Fluxuq́ue diues fluminum:
Fortium turmis equitum verenda,
Heroum genitrix Gallia, bellicis
Fœcunda palmis, inclyta Regibus,
Quos longua ſerie dedit
Priſci Capetij genus:
Vt inter omnes thure Ludouicus
Cultus & aris
Cæleſti radiat vinctus diademate frontem?

ANTISTROPHE I.

Quas dudum mea parturit
Mens fœta laudes Regis educ optimi
In lucis oras, Aonij lyra
Sonora cantus obſtetrix.
An piæ primum ſtudium parentis

Digitized by Google

Formandi puerum moribus integris,
Doctæq́; raris Palladis artibus:
An celſæ decus indolis
Dircæis celebrem modis?
En blanda prodis Comitas, Pudorq́;,
Lenis & oris
Maieſtas ac Forma, Decus & Gratia linguæ.

EPOD. I.

Non me tamen moremini,
Plectrum prouocat aureum
Pulcrius fulgens teneris ab annis
Laus parta bello: iactet infantis manu
Alcidis enectos colubros
Ficto Græcia plauſu.
Vt primùm nituit murice regio
Heros gloria Sequanæ,
Impuber armis comprimit rebelles.

STROPH. 2.

At ætas vbi firmior
Acceſſit omnis abſtinens culpæ, Deo
Deuota iungit pectora, doctibus
Virtutis auctus: commoda
Vrbium curat, ſtudioſus æqui,
Regum delicias ſpernit, & otium

Fontem

Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit,
Prauoſq; pœnæ corrigit timore.
Sic populorum
Munit amore latus, non enſe aut militis haſtis.

ANTISTROPH. 2.

Horti pulchra per areas
Hinc inde transfert candidum virgo pedem,
Qua mira florum pompa recluditur,
Seu quos dedit Britannia,
Vel Tagi potor, Sporadumûe cultor,
Mox voluens oculos, vndique conſpicit,
Et hæret anceps quem ſibi deligat:
Illic floret amaracus,
Hîc albet breue lilium,
Floreſq; pandunt aduenæ decorem,
Denique certa
Omnibus illa roſæ Pæſtanum prætulit oſtrum.

EPOD. 2.

Florem tibi quem ſeligam?
Te ſceptro potior fides,

S 2

Digitized by Google

Alme Rex, clarat Themis, & ſorores,
Pietaſq́ maius adferunt tibi iubar,
Gemmata quàm veſtis vel aurum.
At quæ clarior aſtri
Naſcentis radiis fulſit, & in tuo
Fulget corde, rapit ſacra
Me luce flagrans charitas canentem,

STROPH. 3.

Hæc te nectare cælitum
Paſcit, Deiq́ nunc beat præſentiâ:
Hæc vna quondam, dum tuus induit
Caduca membra ſpiritus,
Se tibi iunxit comitem, viaq́
Index, te Superûm cœtibus addidit:
Hinc liberali ſpargis opes manu,
Siue altaria conſtruis,
Seu ſacras reficis domus,
Ades vel ægris, vel iuuas egenos?
Hac duce bellum
Suſcipis, & mortis iaculis caput obiicis
vltro.

ANTISTROPH. 3.

Vrbis nam Solymæ vicem
Dolens vt impiam opprimas tyrannidem:
Pacata regni linguis, & horridis

Armis petens Peluſium,
Traiicis textis trabibus phalanges,
Quà ſeptemgemino cærula flumine
Nilus colorat: mœnia vix quatis
Arcis, cùm ſubitus fores
Recludit pauor hoſtium:
Mox victor agmen militum patentes
Ducis in agros,
Hoſtileſq́ acies geminata clade trucidas.

EPOD. 3.

Spes ſæpè quò propinquior
Arridet, celeri fugâ
Exitus cœptis adimit ſecundos:
Inuadit, heu! te lues, & Celticas
Infeſta vis morbi, fameſq́
Vexat dira cohortes:
Illinc flumen aquis, hoſticus hinc furor
Denſo circuit agmine.
Pugnatur: atrox fœdat arua cædes.

STROPH. 4.

Victum gloria non minor
Te ſequitur, heros magne, quàm cùm vinceres,
Conſtans recuſas Martis ab alea
Lembo per amnem ſubtrahi:
Vna nos omnes eademq́ pugna

Sors, inquis, maneat: Vos ego deſeram?
Regemq; veſtrum me fuga polluet?
Captiuo tibi quas minas.
Quaué opprobria barbarus.
Infert tyrannus? ſæua quot tuorum
Funera cernis?
Tu tamen immotus Chriſto ſpem ponis in vno.

ANTISTROPH. 4.

Nutantes animos, fide
Firmas, iacentes erigis. Quid, ais, cadit
Spes veſtras? curas pellite lugubres:
Probat Deus quos diligit:
Hos & educit memor è periclis,
Olim quæ populus pertulit Iſraël?
Hæc ipſa tellus teſtis, ad inuium
Rubri dum pelagi fretum
Vrgebat Pharao ferox
Equis & armis obſequens repenté
Scinditur æquor,
Erectiſq; vagæ lapideſcunt mœnibus vndæ.

EPOD. 4.

Electa ſiccis tranſilit

Gens

Gens plantis, mare ſæuiens
Defluit rurſus, rapit inſecutum
Ducem procellis, & quadrigas obruit.
Sic factus haud exſpes tueris
Flexo poplite cælum.
Lux ô Chriſtiadum maxima Princi-
pum,
Heros inclyte, qui tui
Aequent honorem carceris, triumphi?

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

ADOLESCENS *Prodigus imperij pertæſus paternum excutere iugum parat.* 1. *à vitio prouocatur ſæculi huius magnis & lætis.* 3. *in incertum agitur, ignarus cui adhæreat, Virtuti an vitio.* 18. *totum ſe vitio tradit.* 215. *Virtutis ſuper eo comploratio.* 216. *tradit ſe totum vitiis, voluptati & comeſſationibus.* 220. *eius ad ſe redeuntis lacrymæ.* 227. *deſperantis animi ſigna. ibid. obſequitur Virtuti, & fundit preces pœnitentiæ indices ab Illuſtriſſ. Barberino mutuatas.* 231. *à Deo in gratiam recipitur.* 235. *Dei benignitatem & facilem ad ignoſcendum dexteram deprædicat. ibid. agit Virtuti pro inſtitutione gratias, & opem depoſcit.* 370

Aduerſis probat ſuos Deus 148. 152. *in aduerſis quis modus tenendus.* 310

Adulatores quomodo habendi. 213

Aeterni

Æternitas vera poſt hanc vitam nos manet. 120
Aeternorum cogitatio in alta pace ponit. 116
Aeteris adhærendum. 31
Aeterna præſentibus potiora. 109
Aethiopicarum Eccleſiarũ miracula. 175
Alexander Magnus gloriæ cupidus. 82
Alta præcipitio proxima. 11
in Amicum quis deligendus. 346
Amico deſtitutus quid faciet homo. 302
Angelus cuſtos vnicuique datus. 208
Angelorum gaudia ſuper peccatore pœnitentiam agente. 248
Anglicanæ Eccleſiæ diuitiæ. 176
Anima immortalis eſt. 152. *eius immortalitas probatur rationibus.* 153. *& teſtimonÿ veterũ Philoſophorũ.* 186
Animæ immortalitas è Triſmegiſto oſtenditur. 205. *& eam poſt hanc vitam frui viſione Dei.* ibid,
Apium proprietates. 128
Aquarum miracula. 134
Araneæ prodigia. 127
Arborum varietates & raritates. 130
Ardua quæq; ferenda cœlũ cogitanti. 119
Ariadnæ ſertum. 84
Attilÿ Reguli paupertas. 78

Auaritia damnata. 69
Auaritiam domandi modus. 277
Auarorum preces & vota. 75
Auium certarum natura. 129

B

quis verè Beatus. 155
Beatitudo in opibus & honoribus non conſiſtit, vt oſtendit Seneca. 260
Bella à ſceleribus, pax à probitate. 108
Card. Bellarmini ſcala mētis in Deū. 253
Benedictini Ordinis diuitiæ. 178
Beneficia quomodo & in quos conferēda. 280. *quomodo & à quib⁹ accipiēda.* 285
Benignitas Dei ſpem ſuadet. 105
Bombycis miracula. 127
Bona immortalia poſt mortē nos manēt. 315
Byzaceni agri fertilitas. 133

C

Cælorum regna pauperibus addicta. 80
S. Caroli Boromæi veneratio. 254
Caſtimoniæ laus 340. 338
Certa æternitate propoſita dubiis antefe-renda. 64
Certitudo nulla vitæ, nulla annorum, nulla horarum. 20
Chalcidenſis agri fertilitas. 133
Ciborum copia damnanda. 44
de Ciborum apparatu quid ſentiendum:

Digitized by Google

hominis is contemnendus. 111
Ciceronis infelix exitus. 97
Ciceronis de ignobili ſua ſtirpe ſẽtẽtia. 95
Concharum prodigia. 128
in Congreſſibus aliorum quis modus tenendus. 347
Coniuge priuatus quomodo ſe homo geret. 303
Conſiliarij quod ſit munus. 358
in Conſuetudine maiorum quid faciendum. 349
Contemni an malum ſit. 310
Contemptor honorum & opum iis digniſſimus. 110
Contemptus ſaculi, purpura, opum, honorum à purpura Barberini. 252
Contemptus ab aliis quomodo ſe geret homo. 309
Conuiuia laudata. 5
Cornelij Sullæ feritas. 96
Cornua animalium quàm varia. 137
Corona paſſim conferebant veteres. 99
Corpus poſt hanc vitam reſurgit & redanimatur. 188
Crimen miſerum facit, non probitas. 109

D

Dabris fontis natura prodigioſa. 134
Dæmonẽ eſſe peccatorum cauſam è Triſ-

Digitized by Google

megiſto oſtenditur. 204. & impellere in peccatum vindictæ ſtudio. ibid.
Deliciæ laudatæ. 6
Delinquentes benignè habendi. 355
in Detractionibus quid faciendum. 306
Deus cur bonos aduerſis obruat, rationes è Seneca. 255. item cur duriùs habeat probos, mollius improbos. 256. probos duré haberi amoris indicium. 258
Dei benignitas ſpem, iuſtitia timorem ſuadet. 105
Deum eſſe, rationibus probatur. 123. colligitur idem è rebus minimis. 125
Deus per omnia ſe ſpargit creata. 142. ſuos probat aduerſis. 148, 163
Deus per ardua ad æternã felicitatẽ ſuos deducit, & per cruciatus & ſãguinẽ. 152
Dei iuſtitia in eo quòd probos affligat, improbos felicitet. 157
Deũ eſſe probatur è Triſmegiſto. 196. item vnum eſſe. 198. & trinũ in perſonis & vbiq; eſſe. ibid. æternũ eſſe, & mũdum creaſſe, & ſolum bonũ eſſe. 199. conſeruare creata, & inuiſibilem eſſe. 201. eumq́; inuocandum. 202. & eum non eſſe malorum cauſam. 203
Deus vbique præſens. 368. eſt is precibus placandus. 369. ei noſtri cura permittenda. ibid.
Digitized by Google

Dianæ Epheſiæ templum quam opulentum. 178
Dignitates ſæculi innumeris obnoxiæ difficultatibus, & infelici ferè exitu ſignatæ. 91
in Dignitate conſtituto quis modus tenendus. 356
Diſcrimen inter vitiorum & virtutis ſemitam. 17
Diuitiæ, vide *opes.*
Diuitiarum mala & exitus infelix. 165
Diuitiæ veræ in animo. 158.167
Diuiti quæ vita inſtituenda 226
Durioribus exercentur amici Dei. 163. 256

E

Eccleſiæ veteris in variis prouinciis opes. 174
quis modus ſeruandus inter Epulas. 336
Examen conſcientiæ ſomno præmittendum. 366
in Exilio quomodo ſe homo geret. 289
Exitus infelix magnorum. 15
Fatum quid ſit, & quomodo in rebus humanis agat. 140
Felicitas animo, non opibus metienda. 110
Felicitas illorum qui calcato ſæculo, Deo ſe ſacrant.
ROMA
Digitized by Google

ſacrant. 249
Feſſa vrbs quot habeat templa. 177
Florum diſcrimina. 132
Fontium miracula. 134
Fortuitorum ac fortunæ contemptus. 375
Fortuna infida. 29. docetur id exemplis veterum. ibid. inſtabilis eſt. 31. eius inconſtantia, & eius proprietas. ibid.
in Fortunarum naufragio quomodo faciendum. 288
S. Franciſci laudes. 251
Frederici Cardinalis Beromæi commentationes. 372
Fructus arborum quàm varij, 132
inter Fures quid agendum. 289

G

Gallicanæ Eccleſiæ opes. 175
Gaudia Angelorum ſuper peccatore pœnitentiam agente. 248
Gaudia terræ & cœli inuicem aduerſantur. 118
Gaudium verum in animo. 158
Gaudium virtutis comes. 36
Gaudium è vitiis natum, gaudij nomen non meretur. 38
Gignendi facultas à Deo. 200

Gloria

Digitized by Google

Gloria vera & dignitas cælo repoſita. 101
Gloria ſtudendum an ſit. 81
Gorgiæ Leontino ſtatua aurea Delphis ab vniuerſa Græcia poſita. 84
Gratiarum actiones & Dei laudes ab Illuſtr. Barberini Calamo. 240. 237
Gratiæ Veſperi Deo agendæ. 207
Gratitudo in benefactores colenda. 359

H

Herculis in tormentis ingens animi robur. 150
Hiſpanicæ Eccleſiæ opes. 175
Hollandiæ paſcua quam fœcunda. 133
Homo ad ſimilitudinem Dei creatus, id probatur è Triſmegiſto. 200
Honorum mala & infelix exitus. 165
Honores non explentur honoribus. 33
inter Hoſtes quid faciendum. 351
Humana incerta. 22

I

Iaponica templa plurima in Frenomiama monte. 178
Imperatores qui è tenui ſorte ad Imperium peruenere. 8. *Impp. Romanorum*
impe
Digitized by Google

imperium breue. 15
Improbis ſecunda affluunt. 156
Incarnatio Domini rationibus probatur. 209. item è Triſmegiſto. 213
apud Inferiores quæ ratio tenenda. 352
in ingloria vita quid agendum. 298
Inimicitia beſtiarum. 138
Innocentia vitæ quomodo paranda, & peccata vitanda. 360
Inquieta vita inter ſcelera ducitur. 323
Inſepultum iacere mortuum non eſſe malum. 319
in Inualetudine corporis quomodo ſe homo geret. 331
Inuocandum Deum è Triſmegiſto probatur. 202
Iobi aduerſa & patientia. 154
Iphicrates Harmodio generis obſcuritatem obiicienti quid reſponderit. 20
Iræ moderandæ ratio. 266
Iudicis quæ ſint partes. 358
Iunonis vitis. 85
Iuſtitia Dei timorem ſuadet. 105

L

Inter Latrones quid agendum. 289
quid maximè Laudandum in homine, Seneca oſtendit. 236

Lauren

Laurentij martyris triumphus. 381
in Legationibus quæ potiſſima obſeruanda. 357
Leuiticæ tribus opes cum Eccleſia noſtra comparatæ. 171
Liberalitas in pauperes commendatur. 353
Liberi quomodo habendi. 344
Libertas in quo conſiſtat, ex Epicteto. 365
Librorum impurorum lectio vitanda. 55
Ludouici Galliæ Regis triumphus. 386
Luſciniæ natura. 129
Lutheri de impuris libris teſtimonium. 58

M

Maffei Cardinalis Barberini verſus de virtute ſequenda, & voluptate fugienda. 50
Magdalenæ lachrymæ, amor, exilium, gaudia. 374
Maris miracula. 136. 125
C. Marius cur Plotium poëtam dilexerit. 83
C. Marij mors obſcura. 96
Metus maior in magnis. 14
Mœrore oppreſſus quid faciet homo. 331

Morien

Moriendum omnibus probis iuxtà ac improbis. 65
in Morte qualis quiſque debeat eſſe. 319
in Morte quid faciendum. 314
Mors iuueni optanda. 316
Morti nullum diſcrimen ætatis. 28
Mors cui grauis accidat. 41
Mors ſecura ſequitur vitam probam, improbam miſera. 107
Mulierum familiaritas vitanda, & damna ab hoc ſexu metuenda. 60.
Mulierum fuga. 341

N

Natura paucis paratur. 68
Nobilitas vera è virtute non è maioribus petenda. 86. *eadem ducenda è morum nobilitate.* 90
Numina veterum pudenda. 100

O

Occidentalis orbis Eccleſiarum numerus. 177
Omnibus moriendum. 65
Opes animo graues tempeſtates afferunt. 39
Opes non explentur opibus. 33
Opum contemptor Deo ſimillimus. 80

Pau

Digitized by Google

P

Pauperi quæ vita inſtituenda. 328
Paupertatis commendatio. 68. dat vitam ſecuram. 76
in paupertate quid homini faciendũ. 296
Paupertas pacem conciliat. 39
Pax à probitate, bella à ſceleribus. 108
Pecuniæ mala. 73
in Pecuniæ iactura quid faciendum. 287
Peregrè mori malum non eſſe. 318
Petrus Dunius ſeptuaginta ſeptem in Polonia templa ſtruxit. 177
Placendi Deo modus. 367
Pœnitentia incerta poſt delictum. 106
Pœnitentia poſt delictum facienda. 361
Pompeij Magni gloriæ ſtudium. 82
Pompeij Magni mors obſcura. 95
Potus copia damnanda. 44. eius incommoda. 113
Præſidentia in peccatis vitanda. 105
Premiorum à morte diuerſitas. 65
Præſentibus renunciandum. 31
Præſidia multa tutelaria homini contra peccatum data. 108
Probi aduerſis vexantur. 156. 163
Proficientis animi ſigna. 264
Prolibus orbatus quid faciet homo. 303
in Proſperis quæ ratio tenenda. 334

Proui

Prouidentiæ diuinæ aſſertio. 142

Q

Quinctij Cincinnati paupertas. 97

R

Reges qui verè dici mereantur. 40. *in Regum familiaritate quid faciendum.* 249
Remoræ piſcis natura & vis. 137
Reſurrectio corporũ probatur. 188. *& ſeq.*
Robur animi aduerſis aperitur & firmatur. 160
Romanorum veterum à paupertate commendatio. 87
Rupium terra enatarum quanta varietas. 134

S

Sæculo & Deo ſimul ſeruire non poſſumus. 206
Sæculum ſponſionibus ſuis fallit. 9
Salomonis opes. 173
Scipionis Africani paupertas. 79. *Ennium cur amarit.* 82. *eius gloria.* 84. *eius mors obſcura.* 94
Scipio Naſica ab ingrata patria in exilium actus. *ibid.*
Securitas nulla à ſceptro. 40
Securus pœnarum & præmiorum quis ſit. 325
Seria in vltimam ætatem non reiicienda. 35
Seruius

Seruius Tullius ante regnum verna. 90
Socij laudati. 6
è Sumno ſurgenti quid faciendum. 365
Spectaculum Deo dignum vir fortis inter aduerſa. 160. *exemplis id probatur.* ibid.
Sponſionum diuinarum & humanarum diuerſitas. 216
Statuæ veteribus poſitæ. 99
Summa in lubrico verſantur. 13
Sumptus facti in templo Ieroſolymitano. 171
Suos aduerſis probat Deus. 152. 148
Superbiam domandi modus. 273

T

Tarquinij Priſci obſcuri natales. 90
Templi cuiuſdam Norvvegici præſtantia. 176
Terræ miracula. 129
Themiſtocles ab integra patriam in exilium actus. 95
Themiſtocles Miltiadis gloriæ ſtimulis excitatus. 82
Theophanes Mitylenæus à Pompeio cur ciuitate donatur. ibid.
Timor regno iungitur. 11
in Tormentis quid faciendum. 295
Triſmegiſtus pleáque fidei Chriſtianæ myſteria aſſeruit. 196

Digitized by Google

Tuberonis paupertas. 79
Tulli Hoſtilij ignobile genus. 90
in Tyrannorum contubernio quomodo homo ſe geret. 350

V

Valerij Poplicolæ paupertas. 78
Venationes laudatæ. 6
Venatus vanitas & labor. 115
Ventorum varietas, natura. 138
in Vinculis quomodo ſe homo geret. 293
Vinearum proprietates. 132
Virtutis ſuper adoleſcente Prodigo comploratio. 215. *eius ad Deum preces pro adoleſcente.* 219. *eius mœror ſuper ruina adoleſcentis.* 224. *eius monita & animus deſperanti additus.* 227. *hortatur adoleſcentem ad pœnitentiam.* 228. *prouocat eum in lachrymas & preces.* 134. *operam ſuam ei ſpondet, & monet.* 370
Virtutis via plana. 117
Virtus arduis gaudet. 108
Virtus duris probatur. 36
Vitam probam mors ſequitur ſecura, improbam miſera. 107
Vitæ breuitas & incertitudo. 25. 101
Vita ſecura à paupertate. 76
Vitæ ſecuritas in quo conſiſtat. 322
Vita qualis ineunda. 331
Vitio

Digitized by Google

Vitiorum blandæ fraudes in mortem ducunt. 18
Vitium adoleſcentem ad ſe allicit ſæculi latis & magnis. 3. *præſentia ſuadet, auocat à futurorum cogitatione.* 29. *vina ſuadet & choreas.* 34. *voluptatem ſuadet, epulas, delicias.* 22. *rurſus vina ſuadet & amores.* 53. *ſuadet genio indulgendum.* 65
Vniuerſi totius ordo teſtatur Deum eſſe. 125
Voluptatum contemptus. 338. *Voluptas vita pecoris. ibid. quid ſit voluptas, in quo vera voluptas ſita.* 333
Voluptas ſumma in virtute. 37
Voluptas damnanda. 44
Voluptas ſumma è voluptatum contemptu. 47
Voluptas & ſæculi magna damnantur ab Illuſtr. Barberini verſu. 247
Voluptas animorum quanta & quanti facienda. 115
quid in Voluptatum carentia agendum. 299
Voluptates nõ explentur voluptatibus. 33
Vxor quomodo habenda. 343. *à quarum remouenda conſuetudine.* 245

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google